NICOLAI MASSA VENETI

ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS

LIBER DE FEBRE PESTILENTIALI, ac de Pestichiis, Morbillis, Variolis, & Apostematibus pestilentialibus, ac eorundem omnium curatione, necnon de modo quo corpora à peste præseruari debeant.

OPVS SANE VTILISSIMVM, cui nuperrime Auctor tum pleraq; alia, tum præcipue doctrinam addidit de rebus, quæ pestilentem contagionem suscipere, uel non suscipere possint.

Cum indice rerum notabilium in fine operis apposito.

Ex libris Ioannis ~~Antonij~~ ~~Archd~~ Brugnani

AQVA NON SI-

QVI BIBERIT EX HAC

TIET IN AETERNVM.

VENETIIS, APVD ANDREAM ARRIVABENVM, Ad signum Putei. M D LVI.

PETRVS ANGELIVS
Bargéus ad lectorem.

Viderat ex alta Phœbus regione polorum
Pestiferam cunctos depopulare luem:
Et Massam ingenio præstantem, atq; arte magistra,
Mirandum hoc subito scribere iussit opus.

ILLVSTRISSIMAE AC CLARISSIMAE PRINCIPI Dominæ, Dominæ Elisabethæ Landtgrauiæ claris Heßiacorum ducum natalibus ortæ, Principi Saxoniæ, & Thuringiæ, ac Marchionissæ Misnæ &c. Principi ac Dominæ clementissimæ, Nicolaus Massa salutem plurimam, Nestoreamq; uitam, & Metelli fœlicitatem exoptat.

DVABVS sane de causis & illis quidem iustissimis, Illustrißima princeps, hosce meos de Febre Pestilentiali labores tuo in primis nomini dicandos constitui, quarum prior est, ut antiquorum scriptorum exemplum sequerer, qui consueuere sua scripta in lucem edere sub patrocinio alicuius (ut aiunt) Mecœnatis, quo & robur, & auctoritatem maiorem consequerentur. Cum uero tuas non solum corporis dotes uerum etiam animi, longo studio, atque exercitatione comparatas uirtutes considero, ac tuum in Apollonium Massam nepotem meum, quem non secus ac filium diligo, studium & animi propensionem mecum repeto, cui eos iustius dicare poßim quam tibi, neminem uideo, quæ & generis nobilitate, ac splendore, atque omnibus uirtutum ornamentis maxime nites, & de Massea familia nostra in primis es optime merita. Qua in re, mea non me fallit opinio, quis etenim usquam mortalium maiorem uim, firmitatem, & grauitatem nostris scriptis te una Principe Illustrißima dare poterit? cum ex ea celebri atque illustri & omnium clarißima Heßiacorum Ducum, Landtgrauiorumq; familia ortum tuum nobilißimum habueris: quæ & antiquitate, & strenuis gestis non solum a maioribus fœlicibus illis temporibus, quibus quidam ex clarißima illa familia cum ad imperatoriam dignitatem, & maiestatem suis uirtutibus electus foret, qua erat animi magnitudine, eam amplecti minime uoluit, uerum etiam a parentibus memoria patrum nostrorum maximam sibi apud omnes gentes auctoritatem comparauit. Laudes quorum cum omnibus non solum Germanorum Principibus, uerum etiam reliquarum nationum Dominis notißimas esse uideam, silentio eas pertransire decreui. præsertim cum Illustrißimus Princeps frater tuus Philippus Landtgrauius quasi alter Achilles, nostra tempestate usque adeo excellens sit, ut præter maiorum dignitates, propriis etiam uirtutibus, ac militiæ rebus fortißimis fœliciter & prudenter gestis antiquorum patrum gloriam non æquauerit modo, uerum etiam superauerit atque ita; suis amplißimis monumentis Landtgrauiorum familiæ maximum splendorem attulerit, quem lumine solis longe magis elucescere omnes fateri coguntur. Quamobrem non solum qui talem heroem merito colunt, amant, & prædicant, sed etiam æmuli ei inuidentes, tanti uiri laudes magnificas silere non poßunt, quod maximum omnium ueritatis testimonium est. Altera uero causa est; quoniã proximo anno aut siderum coinquinatione et aeris præparatione, aut contagione, tota fere prouincia tua nobilißima (ut mihi significatum fuit) peste labora-

uit, quod non sine maxima Principum molestia, ac ut ita dicam intimo cordis dolore esse potuit, præsertim in Principe uirtutibus ornata, qualis es tu clementissima Domina Domina Elisabeth, quæ maiorem in modum ac magnificè omnes alios principes excellis, ita, ut quasi præclara emicans & rara gemma in auro purissimo, splẽdere uidearis. Quis enim princeps tuam illam innatam prudentiam superat? (quam bonorum malorumq; scientiam ac eorum memoriam esse sapientes credunt) qua futura prospicias, & eis antequam eueniant obstes, ac iuste agẽdo una cum prouidentia ipsa communi utilitati perpetuo studere uidearis, & unicuique ut tempus & necessitas postulant quod suum est impartiaris. Quandoquidem tu, cum natura inprimis iustitiam tibi largita sit, propria quoque diligentia illam in consuetudinem tibi conuertisti, quæ micante suo lumine te candidissimam Dominam in reliquis merito reddit, ut in diuinis religiosam & piam; iucundam, & comem in sanguine coniunctos & ex eadem patria ortos; ac etiam in enumerandis amicorum in te officijs sepeq; memoria repetendis gratam, atque (ut operæpretium est) promptam in eisdẽ rependis. Quid denique animi constantia, temperantia, et in magnis rebus magnificẽtia, ceterisq; tuis uirtutibus dicam? Enimuero uirtutes omnes ita inte una splendent, ut non tantũ internas sed externas etiam tibi augeant dotes: tu nanque clementer ac modeste semper agis, non prætermissa ea audacia, quæ uirtus est, fugas tamen uitiosam procul à te proprio consilio pertinaciã. Quod si liberalitatis gloriam addidero, quam Aristoteles tantopere celebrauit, mentiri me minime dicent hi omnes qui tibi inseruiunt, tua nanque liberalitate ad illum gloriæ laudumq; apicem & maiestatis famam ita contendis, ut diuinam illam, quam in hoc seculo æqualitatem consequi heroes possunt, tua in omnibus liberali largitione continue magis consequi uidearis. Qua ut beneficentius ac liberius uti ualeas, ac etiam ut tui moris est, non tantum tibi, sed & subditis prodesse facilius largiendo possis, in hac quoque sæuissima & communi ægritudine oppressis, has nostras uigilias & labores, ista etiam de causa tuis innumeris uirtutibus dicare decreui. Quod si eas tibi gratas esse cognouero, alias in futurum ad te destinare curabo. Vale Princeps ac Domina clementissima, & mihi & Apollonio mihi charissimo fauere digneris. Venetiis, M. D. X L. Die X X V I I I. Iunii.

NICOLAI MASSÆ VENETI ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS

Liber de Febre Pestilentiali, ac de Pestichiis, Morbillis, Variolis, & Apostematibus pestilentialibus, & eorundem cura.

AD ILLVSTRISS. D. DOMINAM ELISABETHAM *Ladtgrauiã Principẽ Saxoniæ, et Thuringiæ, ac Marchionissam Misnæ &c.*

Procemium huius primi tractatus, in quo quid nominis febris Pestilentialis declaratur.

Intende in adiutorium meum Domine deus salus mea.

LVCAS Panetius Olchinẽsis Canonicus, vir ita elegantissimi ingenii & exquisitissimæ doctrinæ, vt cũ quouis nõ solũ nostri tẽporis, sed superioris seculi in omni genere virtutũ cõparari facile queat, Gal. opus qđ Methodus medẽdi inscribitur, a se summo labore castigatũ mihi destinauit. Quo quidem me, post morbi Gallici opusculũ in lucẽ editũ, ad maiora excitauit, & sępe, qđ in eo libello pollicitus sum, ad proximorũ salutẽ fratribus impertiri rogauit, & si nõ oĩa, saltẽ aliqua, quæ magis vrgẽt. Quamobrẽ, cũ oĩum ęgritudinũ maximi discriminis, perniciosissimę, ac difficillimæ, febres pestilẽtiales sint, ac ab eis accidẽtia summę formidinis, ac timoris plena sequãtur, ut elapsis annis visum est, & nunc quoq; videre licet, de eis nunc tractare curabo, vt & promissioni & tanto viro aliqua ex parte morem geram. Quod si materiam arduã ac difficillimã aggressus fuerim, quæ tot doctissimos antiquos, neotericosq; defatigauit, arrogantiæ, aut temeritati minime ascribatur, cum potius charitate ductus ea, quæ diuturnis lectionibus, quotidianisq; circa ægros exercitationibus, & laboribus, ac ea etiam, quæ ab optimis præceptoribus, & ab iis, qui quotidie rem ipsam experiuntur, nec nisi summa ratione agunt, didici, posteris tradere decreuerim. Neque veritus sum magnitudini rei nondum ad summum excussæ, manus si non vltimas, saltem optimas & propè vltimas apponere, cum ex Hippocratis sententia libello de Diæta, siue de victus Ratione, non solum qui absolutam alicuius rei notitiam docuere, digni laudibus sint, sed

& qui eam adinuenere, aut faciliora doctioraque aliqua industria laboreq́; tradidere. Primum igitur diuino auxilio implorato, a quo cuncta bona proficiscuntur, ad rem ipsam explanandam accedam. Quare, qui hæc lecturi sunt, quæso hilari animo scripta nostra susci piant, addantque siqua in parte defecerimus, aut inuentio nondum rem consummauerit, scientię nanque per additionem fiāt teste Arist. Sed antequam ad quidditatem ipsius ægritudinis deueniā, vt recta docendi via procedam, quid nominis febris pestilentialis quibusdā non inutilibus declarabo, cum ipsa quid nominis cognitio, quid rei cognitionem ex Philosophi doctrina præcedat. Febris igitur pesti-lētialis de qua in hoc libello tractare decreui, est morbus ut plurimū popularis, & inter ægritudines vniuersalis vniuersalitate inhæren-tiæ, primo in corde deinde toti corpori per vasa communicatus, sæ-pisime perdens, & contagiosus uidelicet transiens de homine in ho minem, quo cum mala associantur accidentia, quemadmodum con turbatio intrinseca, cardiaca passio, mutatio faciei ad diuersas muta-tiones, quoniam quandoque mutatur facies ad pallorem naturali suæ figuræ dissimilem & horrendum, quandoq́; vero ad ruborē nō solum oculorum uerum etiam & totius faciei, fiuntq́; furiosi, vel ne-scientes stare loco, vigiles propter vim veneni cordi propinquam, aut veluti stupidi ex multorum vaporum ad caput ascendentiū cras situdine. Sunt etiam alienationes, nigredo linguæ, pustulæ in guttu re, tensio hypocondriorum, spissitudo urinæ sine hypostasi, aut cum hypostasi diuulsa, liuida ac mala, & uentris excremēta lenia, natātia, cum fœtore horribili, & pulsus vehemens & frequens ac inconstans, & sæpe debilis, nunc autem calor exterior non multus est, nunc autē vehementissimus, nunc secundum quasdam partes corporis, nunc se cundum totum cum siti clamosa & aliis accidentibus acutarum fe-brium calent. Sed præter ista sæpe apparent per viam bonæ crisis, aut symptomaticam a prima die vel in processu, variolæ, morbilli, & aliæ pustulæ colore & substantia diuersæ, aliæq́; maculæ cutaneæ, sine eminentia, colore diuersę, & uulgo Venetiis petichias corrupto vocabulo appellant, Ego vero pestichias rectius nominauerim, cū Febrem pestilentialem consequantur, vt a peste, pestichiæ dicantur, ita vt sint papulæ, siue maculæ pestilentiales, aut sit nomen diminu tiuum, a peste, quoniam vulgares apostema magnum in tali febre pestem vocant, tamen reuera non differunt a morbillis nisi diuersi-tate admixtionis, & subtilitate materiæ, vt suo dicam loco. Se-quuntur etiam ad istam febrem apostemata mala inguinum, ala-rum, & post aures, tubercula præterea cæteris corporis partibus

diuersa accidere solent, vt sunt carbunculi & alia hmōdi, quādoq; ēt sine hmōdi signis, & accidētibus febris hæc adest immo dicebat Auicēna, & ego sæpius vidi ęgros in quibus pulsus erat bonus & vrina, & tamen cum bonitate dictorum mortui sunt. Et quando signa prędicta ferè in omnibus, aut in multis accidunt est signum potissimum ducens in cognitionem febris pestilentialis, quæ aliquando à principio est leuis in se & suis accidentibus, & in fine vehemens, & ecōtra aliquādo à principio est vehemens & in fine leuis, & aliquādo semper leuis, aliquando semper uehemēs, causas aūt oīum istorū dicā postea. Ex dictis credo excusari ab illa nimis tædiosa enarratione declarante differētiam inter pestē, pestilentialē, epidemiā, vdemiā, & mortalitatē, cū ex nominis febris pestilentialis declaratione, satis quid tractare intelligam habeatur. Quāobrem Deo optimo maximo gloriā dabitis, si quē vt proculdubio spero ex lectione huius operis fructū excipietis. Sed antequā ad declarationē quid rei sit ipsa febris pestilētialis deueniā, quædā vtilia quin potius necessaria, prçcedētia ad clariorem doctrinā essentiæ ipsius febris, q̄ breuissimè fieri poterit admonebo, & ea antiquorū Hippocratis videlicet, Galeni, Auicennæ, & aliorum doctorum auctoritate rationibusq; comprobabo.

Ostēdit modū generationis febris pestilētialis, & qđ ipsa pōt esse in oībus generibus videlicet ephemeræ, putridæ ac hecticæ. Cap. 1.

NOn paruæ vtilitatis fore puto, si ante pestilētialis febris definitionem, aliquid de materia faciente hanc febrem scripsero, cū ob eius malignitatē, & occultam quandoque vim veneni, & ægroti pereant, & doctissimi medici decipiantur, vnde inquit princeps Auicenna & hęsitant medici in esse eius. Igitur humores nostri corporis alterari nō solū manifestis qualitatibus, caliditate. s. frigiditate, humiditate, & siccitate, et istas consequentibus, verū ēt occultis, vt experiētia docet, credere oportet. Vnde ab vtraque alteratione fiunt ægritudines malæ & contagiosæ, vt est Lepra, Scabies, Febres pestilētiales, Variolæ, & alię de quibus Auicenna secunda primi de Dispositionibus ægritudinum dixit: nec refert si leprā & scabiem distinctas ægritudines posuerim, parum de nominibus habendo rationem. Materię vero, quæ dictas qualitates suscipiunt, sunt humores quatuor & alię humiditates, spiritus, vapores, & membra. Ad quam susceptionem duo requiruntur, videlicet causa agens, & materia disposita, vt scripsit Galenus primo de Differentiis febrium cap. iii. & ideo oportet in toto sermone memoria repetere nullam causarum sine patientis aptitudine, agere posse. & subdit rationem quia si hoc non esset, sequeretur omnia corpora pati ab vna causa, quod est contra experientiam,

non enim omnes qui commorantur in sole à febre corripiuntur, & sic de aliis, vt idem docte dixit, sed illi patiuntur, qui parati sunt ad suscipiendam huiusmodi solis caliditatem, idipsum præterea in omnibus aliis passionibus euenit, cum actus agentium sit in patiente disposito, vt scribitur secundo de Anima textu commenti xxiiii. Dico igitur agens requisitum esse id quod calefacit corpus qualitate venenosa, siue pestilentiali, aut id quod agendo introducere potest venenosam qualitatem, siue causa fuerit primitiua, vt aer pestilentialis, qui vt plurimum est, siue antecedens, vt quidam humores mali putrescentes, siue coniuncta, ut putrida fuligo, siue vapor, aut spiritus in corde, nihil enim obstat quominus pars aliqua in seipsa alteretur. Et quoniam præter particularem causam vniuersalis causa concurrit, cum corpora inferiora continuentur de necessitate superioribus lationibus, vt inde omnis virtus gubernetur, vt inquit Aristoteles primo Meteororum, ideo ille qui scripsit febrem pestilentialem aliquando fieri à corporibus supercœlestibus nulla causarum inferiorum siue particulari concurrente deceptus fuit, & hoc forte ex ignorantia Philosophiæ, quoniam si legisset Auerrhoem scribentem de generatione muris ex putredine, assignantemque particulare agens in huiusmodi generatione calorem in materia putrida, & solem, siue corpus cœleste, is profecto sine labore potuisset imaginari in humoribus accensis agens aliquod inducens pestilentialem qualitatem, vt puta calorem putredinalem, vel aliud quid agens particulariter, quod alterando materiam aptam ad eam suscipiendam inducit formam pestilentialem. Notare etiam oportet, quod etsi Auicenna prima quarti potissimam causam putredinis humorum prohibitam transpirationem assignauit, nihilominus aliquando putredo fit sine prohibita transpiratione, & hoc duobus modis videlicet extrinsecus, & intrinsecus; Extrinsecus fit verbi gratia ab aere putrido corpus inficiente, cum ipse intus per meatus & alias vias susceptus fuerit contactu alias partes putrefacit, nam quod putridum tangit putrescit, & ita differt febris pestilentialis ab aliis febribus, quod putridum aerem, vel alios exteriores vapores, aut spiritus, aut humores absque prohibita transpiratione corrumpentes suscipiat, immo in illis, qui habent meatus strictos, non imprimitur tam cito mala qualitas ab aere pestifero. Intrinsecus vero fit vel à corporis dispositione videlicet totius cum tali præparatione, vel ex humorum dispositione, verbi gratia, quod sit ex se facta ebullitio vel alia alteratio propter aliquā eorū qualitatem superantem, quæ ducit ipsos ad malam qualitatem extraneam; cum autē

dico

dico humorem intelligo omnes humiditates corporis aptas ad suscipiendam putredinem, vt est cibus intus, & chilus & aliæ omnes humiditates. cum ex alteratione in ipsis facta quando dispositæ sunt hoc fieri sine controuersia possit. & reuera in febre pestilentiali fit, presertim in illis quæ fiunt a comestione rerum malæ substantiæ, queqꝫ ita affecta sunt, vt facile suscipiant pestiferam qualitatem. Vnde inquit mirabilis Auenzoar tertio theisir, cap. primo, tertii tractatus. ex corruptione cibariorum fiunt febres pestilentiales, & subdit in fine, carnes comesæ maxime corrumpuntur et nocent, sicut corpora mortuorum aerem corrumpunt, ita fit intrinseca ex carnibus quæ comeduntur corruptio. Quare vides febrem pestilentialem siue malignam vel acutam ab alteratione intrinseca posse fieri, ita vt sine exterioris aeris contagione generentur dictæ febres contagiosæ, quas si pestilentiales nominare nolueris, cum non pendeant ab aeris malitia, non refert, tamen cum posit ille primus patiens alios inficere, & illi alios, vsque ad maximum numerum, nisi separentur & hoc faciat per medium aeris infecti, hac postea ratione, pestifera potest dici febris. Quare dicere oportet omnem humiditatem, & spiritum, atque etiam solidam nostri corporis substantiam posse infici qualitate mala pestifera, & hoc per secundas humiditates, & ita huiusmodi febris erit hectica pestilentialis, nihil enim obstat quominus interdum dicamus hecticam pestilentialem, cum corpus humidum sit aptum ad suscipiendam qualitatem venenosam etiam sine putredine. quod autem corpora patientia febrem hecticam, tametsi humiditas radicalis pro maiori parte in ipsis sit exsiccata, habeant aliam humiditatem in qua pascitur calor, quæque spargitur per totum nemo dubitat, & ideo non erit absurdum si dicamus hoc accidēs, quod, est pestilētialis effectus, aut dispositio posse amplecti omnia genera febrium. Et febris pestilentialis erit aliquando ephemera, & aliquando putrida, & aliquando hectica. Sed frequentissime & pro maiori parte est putrida, aliquando ephemera & raro hectica. cur autem hæc fieri possint in sequentibus disputabo. Nunc vero maioris est momenti intelligere modum contagionis, vt clariora, quæ sequuntur, appareant.

De modo contagionis & diuersitate loci mineræ febrium pestilentialium cum declaratione multorum problematum. Cap. 2.

Mirabile dictu, quod ægritudines quāplurimæ ex homine in hominem transeant, nullo quandoqꝫ sensibili cōtactu præcedente. istæ vero ægritudines enumerantur, ab Auicenna, loco allegato præcedenti capite, Quare vt in re ardua causas naturales asseram, duo intelligere oportet, Primum est ex parte agentis, posterius vero ex par-

te corporis suscipientis. Quod autem requiritur ex parte agentis, est quod ægritudo sit ex humore putrido, aut ex aliquo alio, a quo de facto vapores putridi aut mala qualitate affecti, siue sit pestifera, siue non, excitentur, vel excitari possint, per aerem deferri, ipsumque imprimis aerem inficiant, qui postea deueniens ad corpus aliquod, illud inficiat tali ægritudine, qualem patiebatur corpus illud, a quo vapor excitatus est, Quod si ęgritudo, aut id, a quo tales vapores excitantur, fuerit intrinsecum, hi vapores per poros & alios meatus exibunt, vt apparet in mulieribus menstruatis, quæ inficiunt specula, si in ea intueantur, & hoc per vapores, qui per poros oculorum exeunt. quod Aristoteles adnotauit in libello de somno & vigilia, sed non solum inficiunt specula, verum etiam res alias quamplurimas animatas & inanimatas contactas ab earum corporibus dum menstruantur. hoc autem fit quoniam mali vapores per poros totius corporis eo tempore excitantur, eaq; de causa medici uulnerarii dicti, qui rationales sunt, in curatione vulnerum & vlcerum reiiciunt pannos lineos mulierum, puta indusium, aut alios id genus pannos, quos mulierũ corpora tetigerint, quoniam huiusmodi panni sæpe malam vulneribus qualitatem inducunt, eáque reddit vulnus sanatu difficile: Sed redeo ad secundam partem, quæ est ex parte corporis suscipientis, quemadmodum est, corpus esse præparatum ad illos vapores suscipiendos, & ab ipso corpore abesse qualitates contrarias superantes virtutem agentis. Etenim virtus fortis fortiter resistit, vt docte dixit Galenus, virtuti namque forti nihil resistit, sed suscipiens est corpus debile, vel latorum pororum, aut cacochymum siue mali succi dixeris, & repletum putridis humoribus, & sic de aliis, vt dicã in loco, ubi de corporibus præparatis ad suscipiẽdam febrem pestilentialem tractabitur, quoniam dicebat Aristoteles tertio physicorum agentia & patientia debent communicari in materia. Quæ uero dicta sunt hic, non obstant iis, quæ dicuntur in libello de morbo gallico a me edito, quoniã ægritudines contagiosæ sunt diuersæ, nam quædam pendent a materia subtili, quædã a materia grossa, & quædam a qualitate venenosa occulta, & ideo dixi ibi materiam morbi gallici habere duo quæ ad contagionem requiruntur, viscositatem videlicet adherentem, & fixionem, quoniã cum a materia grossa vapores non facile excitentur, si non esset fixio in ipsa uapores nõ excitarentur vniti, eaq; ratione non imprimerent, tum propter debilitatem actionis cum pendeant a materia pro maiori parte frigida, tũ quoniam virtus dispersa debilior est virtute vnita, neq; etiã inficerent vel essent apti nati ad inficiendũ, Et hoc apparet in scabie, vlceribus putridis, & aliis, Sed in ophtalmia & febre pestilẽtiali, ac huiusmodi aliis, cũ

pendeāt a materia subtili, vel caliditate febrili subtiliata, a qua multi vapores & magis actiui excitantur, non requiritur illa fixio, sed satis est excitari vapores putridos a minera materiæ, siue ab alia parte vbi minera suā cōmunicat qualitatem, Ex his soluuntur multa problemata in materia contagionis quæsita, Primumque, vnde est quod homines si cum iis, qui huiusmodi febre, ac contagiosis ægritudinibus laborant, & præcipue in arctis domibus cōmorantur in easdem ægritudines incidunt, iam dictum est causas esse uapores putridos uel pestiferos a corpore infecto excitatos, & per aerem ad eiusdem speciei præparatum corpus elatos, Dictum est autem hoc quoniā pestilentiale vni speciei non est omnibus pestilentiale, tamet si aliquando animalia diuersarum specierum diuersas per contactum suscipiāt ægritudines, & præter hoc corpora ad suscipiēdum imparata, minime suscipere. Sed forte quęres vnde est quod corpora mortuorū, quæ febre pestilentiali obierunt, eos non inficiunt, a quibus contractantur, dico hoc esse quoniā & si materia venenosa adhuc in illo corpore existat, cum in mortuo calor euanuerit, illa materia non vaporat, cū iam cessauerit ebullitio. Verum si talia cadauera incipiant a caliditate putredinali corrūpi, facile homines inficient febre pestilentiali. Idem euenit in ophtalmia, quod, qui in oculos ita affectos intueantur, in eandem incidunt ęgritudinem & hoc propter dispositionem membri ad suscipiendum apti, & vapores alterantes aerem in oculis mox surripiētibus receptum, neq; enim omnes inficiuntur, sed tātum, qui sunt dispositi, Dic etiam ex dictis cōsanguineos facilius inter se eadem ægritudine in malignitate affici. ita, quod si eius, qui prior infectus est, ægritudo pestilentialis fuerit mortalis, omnes ferē eadem contagione moriuntur, & hoc est quoniam ex iam dicta dispositione, & ex similitudine corporum, & complexionū: contracta a principio generationis, cum corpora consanguineorum ex eodem fere semine concepta sint, dicebat autem Aristoteles primo de generatione & corruptione, quod in habentibus symbolum facilior est transitus. Ex dictis omnium ægritudinum ab Auicenna enaratarum, per quas fit transitus in aliud causas colligere potes. Sed in verbis ipsius. Auicennæ non parua est difficultas, cum ibidem dicat, Sicut congelatio cum imaginatur aliquis quod acetosum illud operetur, & reliqua, cum tamen ex imaginatione nullus sensibilis appareat contactus, & est problema, siue exēplum Aristotelis septima particula problematum, quod problema videtur solui ab ipso Aristotele, quia frigiditas quę est de virtutibus actiuis id operetur, Sed quoniam verba obscura sunt & prægnantia, ideo exponendo dico, quod cum res imaginata sit aliquomodo talis cum ipsa reali, sensitiua, & materialis quo-

quomodo dici potest. Et est ratio, quoniam ea quæ particularis sensus apprehendit & in phantasiam conducit sunt similitudines rerum corporalium, quæ non ex toto a natura particularium expoliatæ sunt, Quare cum sit acredinis similitudo, aliquo modo congelat dentes imaginantis. Dico aliquo modo, quoniam illa est satis leuis, neque ex toto æqualis congelationi factæ a re acri siue acetosa comesa. quamobrem proculdubio concedere oportet imaginationem quampiam effectum realem posse inducere, experientia de imaginatione mulierum prægnantium ex appetitu alicuius comestibilis confirmante. Nam ex forti imaginatione apparent in fœtu siue in puero maculę ac formę diuersarum rerum, & substantia addita in eorum corporibus cum quibus commoriuntur & est quoddam inseparabile. sed cum videmus animam matris de facto agere in corpus infantis quem in vtero habet, quanto magis potest agere in particulam propriam corporis, cum corpus mediantibus quibusdam reguletur ab ipsa anima. Hæc dixisse volui ad solutionem multorum problematum, in quibus mirabile videtur corpus alterari sine sensibili contactu, sed aliter etiam soluere solitus sum problema de visu comestionis rei acris, maxime cum comestio sit realis, Dicendo quod ab ore comedentis efferuntur vapores aliqui acres qui inficiunt aerem, & sic aer huiuscemodi infectus defertur siue transit ad os alterius, & aliqualiter congelat dentes. quæ vt dixi congelatio est valde leuis cum agens sit debile. Argumenta omnia & rationes dicentes quod agens omne, et si fuerit distans, agit per contactũ, ex dictis soluuntur. Sed quid dicendum sit de illis qui corripiuntur febre pestilentiali ex solo intuitu alicuius febre pestilentiali laborãtis, vel omnino mortui, vel ex auditu tantum, Res profecto mira est. sed cũ anima (vt dixi) ex forti imaginatione possit agere mediãte aliquo, puta similitudine accepta a re corporea, quæ non ex toto expoliata est a natura particularium, illum inficit hominem, in quo fuit facta talis impressio, cum iam ex timore corpus sit paratum. nam ex timore, qui debilitat corpus fit præparatio ad suscipiendam malam qualitatem pestiferam, tametsi agens sit debile, nihilominus is qui patitur nullo fere modo resistit. Sicque subiectum ex debilitate est paratum ad eam impressionem suscipiendam, vel si agens omnino sit debile. Quod autem dixi de maculis & aliis accidẽtibus in pueris ex desyderio matris, sunt mille effectus, & inter alios. Vir nobilis ac clarissimus Hieronymus Cochius, in Hac nobilissima vrbium, ex desyderio matris a natiuitate vsque ad ætatem quadraginta annorũ, erat altera faciei parte mõstruosa propemodum, vt ea in qua caro ad similitudinẽ & quantitatem iecinoris excreuisset, ut media fere pars faciei occuparetur. quæ caro tandẽ

opera nostra et aliorum medicorum qui interfuerunt abscissa fuit. atq; ita nunc sanitati restitutus viuit. vir quidē inter nobiles venetos strenuus et magnanimus; Vidi etiam quendam ignobilem, & omnes eum videre potuerunt Venetiis degentes, qui alteram faciei partem ad similitudinem & colorem suillæ carnis habebat, cum pilis carnis porcinæ salitæ, ita ut inspiciētes omnes porcinā carnē salitam esse faterētur. Sed quoniam ista sunt nota omnibus, ideo de ipsis dicta sufficiant, Et vnde nostra discesit oratio reuertatur. Nostra quidem intentio non solum fuit vt ostenderemus modum contagionis, sed & loca, vbi talis materia, quæ basis est febris pestilentialis, pro maiori parte reperitur. Et quoniam dixit Galenus primo de accidenti & morbo, & Auicenna secūda primi Doctrina tertia, mēbra omnia sana esse, quæ proprias habent operationes, & cum membrum aliquod propria caret operatione, vel eam imbecillem habet, ægrum denominatur. quare cum in hac ægritudine defectus diuersarum operationum appareant, in diuersis etiam membris, a quibus operationes habēt principium, oportet uelimus nolimus dicere illa membra aut principaliter, aut per cōsensum esse affecta. Nec propter hoc negare quis poterit febrem esse calorem accensum in corde, & per vasa procedens per totum nisi impediatur. Sed oportet fateri vapores pestilētiales posse excitari ab omnibus partibus corporis, vt in aliis febribus contingit. quod confirmant verba Galeni primo de differentiis febrium cap. iiii. dicentis, In eo uero quod hi qui in corpore humores ex mala dieta sunt apti ad putredinē. principium fit febris pestilētialis, vnde videtur humores etiam per totum corpus cum sint mali, a quibus vapores excitantur, esse minerā & principium febris pestilentialis, & hoc clarius ostendit Galenus libello de euchymia. & cacochymia, cap. primo. Quibus accidunt signa omnia hoc ipsum attestantia, vt est lassitudo spōtanea, musculorum & membrorum dolor, cum amplitudine venarum propter ebulitionem in toto. Quod si materia im mēbris principalibus fuerit, erit in eorum operationibus impedimentum, quod ex signis cognoscitur, vt idem Galenus atestatur in libello de cholera nigra, cap. iiii. vbi scribit fuisse quosdam, qui cum cuidam magnæ & diuturnæ pestilentiæ superfuissent, eorum non paucis excretionem per inferiorem ventrē factam esse vocatarum epaticarum in nouem diebus. quare vides mineram talium ægrotantium fuisse in epate, vel in meseraicis venis iecinori propinquis, Quod si materia fuerit, ut dictum est, in iecinore & mesenterii venis epati propinquis, apparet dolor & tensio maior in hyppochōdrio lateris dexteri, Dico maior tensio in isto, quoniam in pestilētiali febre ex signis communibus est tensio hyppochondriorum, etiam caliditas

maior in ipso latere apparet, fit etiam ex eadem causa tensio & inflammatio in renibus cũ obstructiones sunt in epate, & alia signa quæ epatis nocumentũ ostendunt. Quod si in stomacho fuerint humores mali putridi cum mala qualitate pestifera tũc a principio ante manifestam febris apparitionem accidũt grauitates & anxietates stomachi, aut dolor vel nausea, siue vomitus materierum malarum. Sed cum in pectore & membris propinquis cordi fuerit minera, fiunt tusses, difficultas anhelitus, caliditas circa partes pectoris, rubor faciei, ariditas & nigredo linguæ, alcola, & sitis inextinguibilis. Et si in corde, vel propinquissima cordi fuerit materia, accidunt angustiæ pulsus, cordis inquietudines sine intermissione, tametsi inquietudo sit commune signum, mutatur etiam facies, & oculi caui fiunt, sequunturq; lipothymiæ, syncope siue animi defectus cum sudore frigido, ac extremorũ frigiditate, quæ mortem propinquam ostendunt, fiuntq; alia vltima & mala accidẽtia, ut pulsus debilitas, ac ipsius anihilatio. Si uero materia fuerit in capite uidebis a prima die, ut ego sæpe vidi, alienationes cõtinuas, et uigilias, fiunt etiã aliquãdo somnolẽti & ferė stupidi ac debilitãtur in omnibus sensibus, & motibus, & aliis animæ operationibus intrinsecis, tam et si etiam per consensum ab aliis membris sępisime in capite, dicta accidẽtia fiant, quæ tamẽ sunt continua omnino, & inter cætera, isti a prima die non possunt aut surgere, nec ambulare, aut per lectulũ se mouere. Et hæc, (vt breuis sit pars ista) sunt signa diuersitatis mineræ ratione sumpta ab operationibus læsis membrorũ, dicebat namq; Galenus in libello de locis affectis membra principalia communicare vniuerso corpori, hoc modo uidelicet cor per arterias, Iecur per uenas, cerebrum per neruos. Vide modo & considera pulsum & anhelitum urinas & egestiones, dico egestiones propter uesicam fellis ab hepate mittentẽ ramum ad intestina, idem de operationibus cerebri animaduerte videlicet considerando motuum & sensuum operationes, & internarum virtuum, vt est appræhensio et discursus & alię huiusmodi, & ista sunt primum consideranda, quoniam dicuntur membra principalia a quibus oẽs virtutes primò prodeunt. Et sic medicus prudens & in sectione corporum exercitatus cognoscendo loca corporis, poterit facilius locum in quo materia primo residet cognoscere, dixi exercitatus in sectione corporum, quoniam, ut dicebat Galenus, primo de locis affectis cap. primo, imposibile est medicũ cognoscere ægritudines nisi loca, et membra in quibus generantur ægritudines sensu per anatomiam cognouerit, & viderit. Neq; dicendum, ut rudes dicunt, anatomiam seu membrorum cognitionem facere ad particularium ęgritudinum notitiam, non autem ad febris mineram cognoscendam, quoniã nemo anti

quorum hoc dixit, immo dicebat Rasis primo continentis de cōditionibus medici, Nisi medicus cognouerit partes corporis per anatomiā impossibile est consequi curam. quod clarius manifestans Galenus secundo ad Glauconem dixit, Passiones quæ in intrinsecis & occultis fiunt locis, quæ non possunt visu apprehendi non facile intelliguntur, quoniā nec oculorum acie, nec tactu eas cognoscere possumus, & quoniam occultæ sunt & febres afferunt, ideo huiusmodi cognitio perspicaciori videtur egere mente, precipue vero peritia naturę membrorū, quam ex sectione, & ex exquisita scientia operationum & ex usu comparamus, vides igitur quā sit necessaria scientia mēbrorū, quæ ꝑ sectionem acquiritur, cum in tali sciētia omnia secreta & occulta naturæ manifestentur. Nolo tamen te iterum ex dictis credere me negare hāc febrem esse propriam cordis passionem cum febris sit calor accensus in corde, ait namq; Auicēna tertio canonis, cap. de melancholia, ubicunq; materia melancholica fuerit confirmatur in cerebro, eadem ratione de materia ista dico, ubicunque fuerit eius minera confirmatur tamē in corde. Hæc dixisse volui vt iuniores, ad quos nostra hæc perscribuntur, sciant diuersitatem loci multum referre, & in hoc ferè totum negotium verti, quare diligenter hoc ipsum animaduertant, nec ob id senioribus obesse putaui Sed cum ab extra sæpissime hæc febris a contactu aeris fiat, qui contactus quandoq; fit etiam per vestimenta aut per aliud indumentum, manifestum est huiusmodi qualitatē fuisse impressam per poros corporis, a qua, cū esset pestifera, secuta est ebulitio in massa humorali, atq; ex ebulitione febris pestilētialis ortū habuit, cuius minera fuit, non ex quantitate, sed ex malitia primo in venis & meatibus exterioribus, & postea malignitas cōmunicata cordi febrē causauit pestilētialem. Sed vnum dignum adnotatione pretermittere nolo, videlicet, quod non solum ægritudines enumeratæ ab ipso Auicenna loco allegato possunt hominem inficere per contactū, uerū etiā & quecunque ægritudo materialis, quamuis ex sui natura nō sit contagiosa, quoniā ut dixit Galenus ab vnaquaq; ęgritudine materiali uapor malus exhalat, Et cū uerò uapores mali reuera aerē inficiant, ut notissimū est, aer potest & corpora pręsentia pręparata siue disposita inficere mala qualitate, qua aucta ad aliquod impedimentū operationis deueniet & ægrotabit suscipiens. Ex dictis iam clara est causa diuersorum accidētiū in tā mala ęgritudine, vt est syncope, nigredo in urinis, alienationes, & multa alia. Sed q̃a mirabile est id ꝙ sæpe vidi, et in dies ęgri, & medici soliciti & anxii timent. quid videlicet est in causa: quoniā prima die multi in tali febre reperiuntur sine pulsu, vel cum vltima eius resolutione, multi etiam in declinatione ægritudinis & accidentiū, cū

omnibus signis bonis, videlicet cum remissione febris, subleuatione virtutis, & melioratione omnium operationum, tam naturalium quã animalium mortui sunt, ut inter alios contigit charissimo fratri meo Antonio Massa numulatio Illustrissimi Dominii; qui ĩ vigesima obiit cũ manifestissimis signis declinationis, & bonitate omniũ operationũ naturaliũ, qui tamen obiter deuenit ad casum virtutis cum extremorum frigiditate, et reddidit animam. Deo creatori & redemptori nostro. mirabile quoq; est id qđ dicebat Auicẽna prima quarti de signis febris pestilentialis, sub tali verborũ serie. Et quandoq; est de his febribus pestilẽtialibus, in qua nõ ꝑcipit æger, nec tangens ꝓpinquus multitudinem caloris, & non alteratur pulsus, & aqua, magna alteratione, & cum hoc ipsa est interficiens velociter, & hæsitant medici in eius essentia. In eorum igitur quæ supradicta sunt confirmatione dimissis Gẽtilis disputationibus, & Conciliatoris differentia. cxiii. Dico quod non semper putredo siue minera putredinis febris pestilentialis est circa partes propinquas cordis & ventriculorum ipsius. Sed est in aliis membris longinquioribus, ut ostensum est supra tametsi accendatur calor, per putridam fuliginem in corde, ad cuius confirmationem quædam exempla adducam. Et primo vidi inter alios quendam cui stomachi fundum summopere doleret, cum febricula non multæ caliditatis, vrina vero cum laudabili erat sedimine, neque alienationes aut capitis grauedo erat, qui tamen deuenit ad syncopim & morbillorum seu pestichiarum apparitionem post septimum, sicque ante quartumdecimum diem mortuus est, cum casu virtutis & extremorum frigiditate, ac fluxu ventris fætido, fetore horribili, diuerso colore & leni. Et hoc fuit manifestissimum signum, quod materia mala putrida pestifera, quæ basis istius febris fuit, putrescebat in fundo stomachi, postea a natura mouente ex se, vel malignitate materiæ stimulãte, pars aliqua trasmissa fuerit ad cutem, & apparuerunt pustulæ illæ siue maculæ, & in illo motu communicabat etiam vehementius ex vaporibus aut etiam ex materia suam qualitatem cordi & inde sequebatur syncopis, sed procedente ebullitione & calefactione, spirituum, cum malignitate, & virtute insurgente, materia mala stimulante, contra morbum & causam morbi, secutus est fluxus ille malus, & alia dicta accidentia, & vltimo facta improportione, & resolutione etiam mors secuta est, Vides igitur, cum tamen a principio non appareret notabile nocumentum cordis, sed in processu facta impressione, a materia in fundo stomachi existente communicãte qualitatem uenenosam spiritibus cordis, ipsos spiritus fuisse & mutatos a propria complexione, atque adeo ita atenuatos, vt non potuerint conseruare vitam in tali subiecto

biecto. Et multos alios vidi & alii etiam medici viderunt, qui a principio cum pauca febre erant, sed tantummodo apparebat turbulentia vrinæ ac tensio in latere dextero, inter quos Bartolomeus Guiotus brixiensis non sine maximo discrimine euasit. Et quendam vidi conquerentem a principio tantummodo de dolore dorsi, in aliis vero operationibus & membris mediocriter se habebat, cui tamen in decima apparuerunt papulæ, siuæ maculæ mali coloris, & cardiaca passio, & alienatio, qui tandem cum modico regimine, & ex applicatione multarum cucurbitularum cum scarificatione euasit. Quare vt respondeam quesitis, dico ꝙ si casus uirtutis a prima die apparet, proculdubio minera & mala qualitas pestifera primo & principaliter est in locis propinquis cordi, uel eorum uentriculis, aut si est in loco lõginquo dico materiam multam fuisse, quæ inuenit virtutem debilem, ut contigit sæpe in iis, qui frequenter, coeũt, qui si a tali febre corripiantur pauci euadunt. Adde etiam quod & si materia non multa est, tamen sua vltima malignitate, quæ penitus est contraria vitæ, potest breui tempore spiritus vitales in corde inficere qualitate illa cõtraria vitæ, sicq; apparet subita pulsus debilitas, Sed quomodo moriantur multi in declinatione dictæ febris, & accidentium, causam reddam. Cum in declinatione non ex toto dicatur esse euacuata causa morbi, quæ causa est materia putrida cum qualitate pestifera, & ideo virtus, tametsi aliqualiter præualuerit, debilis est, ex labore contingente in ipsa febre, & ex malignitate materiæ, cui malignitati proprium est dissoluere virtutem. Quare cum ita sit, contigit quandoq; virtuti quærenti vltimã humorum malorum euacuationem, in die aliquando critica, & aliquãdo non critica, vt moueat, Sed cum sit debilis malo mouet motu, & ad partes non conuenientes, scilicet ad membrum principale, & quamuis sit pauca cum sit pestifera venenosa inficiendo spiritus extenuatos debiles sequitur inopinata & cita mors. Et ideo semper in istis conualescentibus ante omnia virtus instauranda est, non neglecto regimine regulari in aliis necessariis. Talis vero mors est illa, de qua princeps Auicenna prima quarti cap. tertio dixit; Indeclinatione non moritur ęger nisi ex causis dictis post, scilicet fen secunda quarti, Vbi inquit quandoq; ex uariolis cõtigit in declinatione mori. Expone igitur eo modo quo supra dixi, videlicet debilitata uirtute, pars aliqua materiæ mota, non extra pulsa petit membrum principale, & quoniã venenosa est, et resistentia etiã est debilis, ex venenositate corrumpit eius cõplexionẽ, siue spiritus, vnde sequitur mors, vt docte dicebat Auicẽna de causis mortis et sunt uerba Galeni tertio de crisi cap. quinto & sexto et ĩ aliis locis, Non. n. in uera declinatione contingit mori, nisi ex aliqua re no

ua resoluente virtutem, aut mutante complexionem cordis vt dixi. Sed ad verba Auicennę dicentis quod aliquando in febre pestilentiali non est multum caliditatis, & pulsus est bonus, & urina etiam, & tamen æger tędit ad mortem dico quod sæpe a principio febris ephemera est, cum qualitate mala pestifera. Sed cum in ephemera pulsus & urinæ non multum alterentur, neque huiusmodi febre affecti habeāt mordacem calorem, ut sciunt experti medici & rationales, potest cum bona urina et pulsu non multum alterato ac caliditate non multum intēsa, ista qualitas pestifera in uaporibus admixta inficere spiritus cordis, & sic sequi mors. Igitur male sentiunt, qui credunt & dicunt aliquos a peste interemptos fuisse sine febre ipsi namq; non animaduertentes alterationem pestiferam venenosam fieri etiam in vaporibus, crediderunt sine febre interimi a peste, unde oportuisset eos notare quod in ephemera spiritus accenditur, & cum uapores sint uenenosi antequam febrilis calor per uniuersum corpus effundatur, moriuntur, sed facta fuit cordis calefactio ex uaporibus pestiferis antequam humores putrescerent. Potest tamen fieri ut aliquando sit putrida cum qualitate pestifera, & sit procul a partibus cordis, aut hepatis, uel q ab aliquo impediatur, ita q non faciat alterationem in spiritibus cordis, quæ sit notabilis, neque est tātæ caliditatis vt possit massam sanguineam siue humores ita conturbare, vt vrina possit ostendere ebullitionem humorum. Quare, cum adhuc non sit multa inflammatio, non apparebit caliditas lædens notabiliter infirmum, neque manus tangens ipsam, sentiet caliditatem intensam. Et nihilominus æger tendit ad mortem, & ratio est, quoniam cum materia venenosa est in locis remotis a corde, amoto impedimento, occupat cor, si vero in loco a corde lōginquo sit imprimit malam qualitatem, corrumpitq; spiritus et suam complexionem, qua corrupta sequitur mors, cum iis dictis signis ipsam non indicantibus, ut dixit Auicenna. Neque debet quis dubitare dictam mortem non posse sequi ab aere pestifero, cum semper per inspirationem, ad cordis refrigerationem, aerem animal recipiat, qui si pestiferus fuerit, corrumpet complexionem spirituum (vt dictum est) & sequetur inopinata mors; vt accidit in maximis pestilentiis a corruptione aeris euenientibus, attamen semper ante mortem cor accenditur a caliditate extranea, sed notare oportet quod quando materia iam suam communicauit qualitatem malam cordi, pulsus nō est amplius bonus, immo est diuersus, vt sæpe expertus sum in morientibus, vt dixit Auicenna. Ex dictis patet breuiter clara solutio omnium dubiorū atq; hæc sufficiant de contagione et minera dictæ febris, quoniam quæ dimissa sunt, in sequentibus declarabuntur.

De materia faciente febrem pestilentialem, & aliis, quæ basis morbi dicuntur. Cap. 3.

FEbrilem calorem triplicem habere materiam subiectam in corpore nostro docte dixit Galenus primo de differentiis febrium, & Auicenna prima quarti, videlicet membra humores & spiritus cum vaporibus, a quibus fiunt etiam tria genera febrium, Quare cum superius dixerim hoc pestilentiale posse omnia tria genera complecti & simul commiscere, sæpissime tamen putridarum generi admiscetur, aliquando ephemerarum, raro vero hecticarum siue habitudinalium. Quod autem pestilentiale putridis febribus accidat omnibus medicis notum est, & in superioribus satis declaratum, quod ex iis, quæ dicentur, magis declarabitur, Et ne te in hac clarissima parte morer. audi Auicennam prima quarti, cap. primo, de febre pestilentiali. Et quando fit aer secundum hunc modum, uidelicet, putridus pestilẽtiali putredine, venit ad cor, quare corrumpit complexionem spiritus, qui est in ipso, & putrefit quod circundat ipsum de humiditate, & accidit caliditas egressa a natura. Clare patet igitur febrem pestilentialem fieri ex putredine humorum. Quod confirmat, idem Auicenna, cap. quarto, docens curare, Inquit si materia fuerit sanguinea incipe a sanguinis missione, si autem alii humores fuerint, euacuentur. quare, ex humoribus omnibus istam febrem fieri patet. Sed quoniã humiditates subtiliores facilius recipiunt caliditatem putrescibilem, & pestiferam qualitatem, quæ humiditates cum sint euaporabiles, aliis corporibus ipsam communicant, hinc est quod febris pestilentialis vt plurimum est sanguinea, aut cholerica. Sicque dicere oportet basim, in qua est hoc accidens pestilentiale, esse vt in pluribus aut humorem sanguineum, aut cholericum, raro phlegmaticum, & melancholicum, vt plurimum intraneum quoniam sæpe vidi febrem pestilentialem cholericam cum apparitione morbillorum alternantem, videlicet incipientem cum frigore et terminantem cum sudore & huiusmodi febris non est tanti discriminis, quoniam pro parte materia expellitur extra venas, Sed quæ sit causa quod ista febris raro sit diuturna, videlicet quartana, aut puotidiana, vel tertiana diuturna a crassitudine materiæ nemo fere ignorat. Cũ ratione venenositatis hæc febris sit turgida, stimulans naturam ad expulsionẽ sæpe symptomaticam, raro criticam, materiæ vero expelluntur, aut per vomitũ, vel per secessum, aut ꝑ permutationem ad inguina cũ apostematibus malis, uel etiã ad alia loca nõ emunctoria, per tubercula & genera papularũ & macularũ malarũ. Sed notabis qđ apostemata, quę ex frigidis a prędominio fiũt humoribus, vt plurimũ sunt mala, tametsi in quacunq; febre pestilẽtiali sint mala, quoniã cũ materia melan

cholica, & maxime cum malignitate, expellitur, et fit apostema, nõ sup puratur, quamuis etiam alii sint admixti humores, vt puta, sanguis & cholera, sed tendit ad corruptionem, propter inobedientiam humo ris, & malignitatem pestiferam. Et hoc magis si virtus fuerit imbecil lis, idem dico de phlegmatico quamuis non sit ita inobediens nec ma lum, ex iis, quæ superius dicta sunt facile doctis persuadetur in scientia medicinæ quancunque febrem putridam posse esse pestilentialẽ, neque id aliqua ex parte obstat, cum quæcunque materia putrida sit parata ad suscipiendum vlteriorem putredinem & malignitatem. nam si cor pora sana ab ipso aere alterantur alteratione pestifera, quanto magis, corpora imbecilia plena putridis humoribus, quamuis sint melancho lici aut phlegmatici, cum ab ipsa exteriori & etiam interiori alteratio ne oppressa virtute, & ad talem dispositionẽ deueniunt. Et sic aliquan do vidimus temporibus pestilentialibus febres incipientes ex putredi ne humorum crassorum phlegmaticorum & melancholicorũ & tran scendere temporis diuturnarum febrium cum accidentibus pestilentia libus, videlicet cordis pulsu siue tremore, animi defectu, extremorum frigiditate, & allis malis accidentibus, cum quibus recedunt ab hac vi ta. Et ego vidi plures cum febre diuturna pestilẽtiali, inter quos vidi. Dominum Nicolaum album nautam septuagenarium, cum exacerba tione, de quarto in quartum, cum accidentibus malis in pulsu, & alie natione continua, vsque ad quartãdecimam, et post decimamseptimã apparuerunt per vniuersum corpus maculæ magnæ notabiliter, diuer sæ in colore, videlicet rubræ, violaceæ, nigræ, virides, croceæ, & lazuli coloris, eratq; icterícia per uniuersum corpus, quæ plumbeum colorẽ citrino admixtum ostendebat, qui postea mortuus est, cum sudore fri gido, compos mentis, post quadragesimumquartum diem. Vidi etiã casum Reuerendi magistri Francisci Marini, qui tunc erat minister pro uintiæ diui Antonii Patauini, incidit hic in febrẽ pestilentialem, a pri ma die cum accidentibus valde malis, & maculis per vniuersum cor pus diuersorum colorum diffusis, vt supradixi, cum vomitu, & cardia ca passione, cui post quadragesimum diem supcruenit apostema ma lum post aurem, ex permutatione materiæ, quo cum facta fuit quædã subleuatio accidentium, eo tamen mea diligentia curato, vir optimus ac mei mantissimus pristinæ restitutus sanitati adhuc uiuit. Et tamen fuit febris pestilentialis diuturna cũ accidentibus, malis etiã post sexa gesimũ die. Quod si quis recte cõsideret dicta Hippocratis in processu primi epidimiarũ has febres diuturnas fieri testãtur, Sicq; habes humo res phlegmaticos, & melancholicos per putredinem aliquando esse su biectum, siue basim huius febris pestilentialis, et erit diuturna vel de ge

nere diuturnarum,& hæc de putridis satis Ad tertiũ vero genus febris si recte inspicias nullam inueniens contradictionem, videlicet ꝙ hoc pestilentiale aliquando sibi associetur teste Galeno tertio de præsagatione ex pulsibus cap.quarto,& ratione ipsa cum huiusmodi febris pendeat a calefacto esse secundarum humidatatum. Quæ sunt uidelicet prima siue nomen non habens,ro s,cambium,& glutem,quę primo sunt aptæ ad recipiendam qualitatem uenenosam,& maxime duæ illæ primæ, tertiæ præterea & quarta, similiter,quo & ratio ꝑsuadet,cum corpora magis materialia & sicca sint apta ad suscipiẽdã istam pestilentialem qualitatem,vt sunt plantæ,quæ pereunt ex mala aeris pestiferi qualitate. Nec solum plantæ pereunt,sed comedentes eorum fructus siue folia, vt testatus est Auicenna secunda primi de Iudiciis dispositionum anni,& Theophrastus quarto de historia plantarum,sed in armentis hoc sæpe accidit,tametsi sit ægritudo humoralis,attamen si comparare uolueris,facilius est imprimere in secundis humiditatibus in homine aliquã qualitatem,quàm in primis humiditatibus brutorũ,cum corpora hominum sint magis obnoxia alterationibus interioribus & exterioribus,quàm corpora brutorũ, ut docet quottidiana experientia , & quamuis febres habitudinales sint immateriales,tamen quia calor iam in dictis secundis humiditatibus est,possunt ab ipsis excitari vapores & ad alios homines transire,eosq; infectos perdere sua qualitate pestifera; Quæ febris hetica cognoscitur,quoniã sunt accidentia mala, vt est syncopis,passio cardiaca,& alia solita euenire in febribus pestiferis humoralibus, tametsi non sint ita fortia . Sic etiã dicere oportet,de febre putrida phlegmatica,& quartana quæ nõ habent accidentia fortia sicut cholerica, & sanguinea. Dicta hæc de secundis humiditatibus suscipiẽtibus pestiferã qualitatẽ,nõ repugnant iis,quæ dicuntur a Galeno primo de differentiis febriũ dicente febres pestilentiales fieri ex humorũ putredine,nõ enim est ratio febris pestilentialis quod sit ex putredine, sed quod sit quędã dispositio in humoribus & spiritibus,& aliis humiditatibus suscipiens huiusmodi qualitatem pestiferã, cum fortitudine agẽtis;ut ex uerbis ipsius clare colligi potest. Ex dictis credo satis ꝓbatũ esse dari ephemeram pestilentialẽ,& maxime ex uerbis Auicennę dicentis,ab aere corrũpi spiritũ,aut eius complexionẽ,quod clarũ est,præsertim tẽpore æstiuo,cũ primo ab aere accendantur uapores, deinde spiritus,cũ sint substãtia magis inflamabilis,cũ vero caliditas accensa est in spiritibus,illa febris est,quæ ephemera dicitur. Neq; dici potest Auicennam dixisse complexionem,quoniã clarũ est aerẽ cũ sit corpus agere per contactum,& sic necessariũ est,quod agat in cor-

pus spiritale, corrumpendo eius substantiam, siue formam ipsius spiritus. Quod si non est forma, id tamen est, sine quo forma stare nequit, nam forma sequitur & introducitur merito talis cōplexionis, si in spiritu est alia forma a complexione. Et aliquando ista ephemera, quæ est cum qualitate pestifera, fuit tanti acuminis & malignitatis vt multi à prima die mortui fuerint ita ꝙ & grauissimi medici ausi sunt dicere aliquando mori ex peste sine febre. vt supradixi, quod si putridam dixerūt, verum dixerūt, sed si sine ephemata ēt posse mori dixerūt, decepti sunt, cum non fiat talis corruptio spirituum sine inflāmatione ipsorum communicata cordi, & ista dicitur ephemera. Et quāuis febris pestilentialis, vt plurimum curetur cura febrium humoraliū, nō tamē necesse est eam semper esse putridam, tametsi ephemera dum procedit augendo caliditatem, transeat in putridā, etenim siquis à prima die cognosceret ephemeram prstilentialem, & corpus repletum, optimum esset ipsum purgare, quoniam proculdubio liberaretur, nō tamen neglectis illis, quæ resistunt malignitati pestiferæ. Ex dictis habes diuersitates humorum siue partium subiectarum, siue basiū dixeris febrium pestilentialium, quæ sunt tres, videlicet humores quatuor, membra, & spiritus aut vapores, reliquum est his sic adnotatis istius febris definitionem vel descriptionem assignare.

De definitione seu descriptione febris pestilentialis. Cap. 4.

PRotinus inter initia, febris definitionem, quoniam febris est, dicere hic oportuisset ex principis sententia, vnde omnia colligūtur, esse scilicet calorē extraneū in corde accensum. Sed cum hic pestilentiale genus tantum declaretur, vniuersali ratione febrium prætermissa, eam tantummodo febrem pestilentialem declarabo, vt legētes in cognitionem ipsius facilius deuenire possint; quę declaratio vt facilior sit, multa, quæ superius scripta sunt, repetere nō inutile fore iudicaui, necꝫ ea repetitione eos fastidire crediderim, qui hæc legent cū decies repetita, ex Aristotelis sentētia, placeāt, eam vero sic describam, Febris igitur pestilētialis est morbus complexionalis aliquādo acutissimus contagiosus, & vniuersalis cū qualitate pessima venenosa conturbans intus, & vt plurimū perdens. quoniā sua pessima qualitate pestifera corrūpit spiritus cordis, eaqꝫ de re est lōge acutior aliis morbis, ac deterior lōginquiorqꝫ à salute, ita, vt aliquādo tāti sit acuminis ac malitiæ, vt sex aut duodecim horarū spacio patiētes è vita rapiantur, sine vlla alteratione præcedente, quo fit, vt sæpe in publicis viis, cū ad cōsueta munia ꝓficiscuntur, moriātur, serpitqꝫ hic morbus citissime ac subito populatur. Et pendet ex ebullitione unius interdum, & interdum pluriū quatuor humorū & aliarū humiditatū,

spirituūq; & superfluitatū, quāuis raro ab in secūdis humiditatibus inflāmatione fiat, sæpissime ab alterationa siue causa extrinseca factus, & aliquādo ab intrinseca. Et quādo nō statim interimit hic morbus sæpissime accidētia multa & sæuissima apparēt quemadmodū, inquietudo, lassitudo corporis, nausea, & casus appetitus, cui nisi succurratur cum comestione violēta, dicebat Auicēna ægrum interfici, dolor stomachi, & ipsius anxietas, tēsio hypochōdriorum, atq; dolor dorsi, tussis sicca, anhelitus malus, & vehemens, frequēsq;, ariditas linguæ, sitis mala & inextinguibilis, alienationes, stupores, mania insomnia, oculorum rubor, ac faciei mutatio diuersa, cordis pasio, lipothymia, syncopis, siue animi defectus, sudores frigidi diaphoretici, id est resolutiui, pulsus debilitas, ac ipsius annihilatio, & hoc quando materia est propinqua cordi, & cum vltima malignitate. Attamē nō semper sunt omnia dicta accidētia, sed quādoque plura, & aliquādo pauciora, ita vt ex paucitate accidētium sæpe difficilis sit cognitu. Nam secūdum naturam, & multitudinem humorū & aliarū materię rū, & e arum malignitatem, ac etiam locum, & fortitudinem, vel imbecillitatem virtutis, fiūt plura & minora accidētia. Vrinæ sunt subiugales, aquosæ, diuersæ, sine vllo aut certe cū malo sedimēto, fiunt etiam sępe fluxus mali diuersi, cum quibus recedūt e vita. apparēt sępe apostemata emūctoriorū & etiam botores, siue tubercula diuersa, vt sunt carbūculi, variolæ, morbilli, essaræ, & maculæ aliæ diuersæ, in colore, quas pestichias superius vocaui, quæ sunt etiam sine eminētia, secūdum diuersitatem & prędominium humorum peccātium, quæ maculæ nō differūt in materia à tuberculis, sed in grossitiæ, & subtilitate materiæ, & sunt propter aeris exterioris malitiā deteriores morbillis, quādo ex infectione exterioris aeris procedunt, quoniam humores bonos inficit, sed morbilli quoniam ab intrinseca fiūt naturæ alteratione, eos humores depurāt. Hæc omnia per uniuersum corpus euenire cōsueuerūt, interdū prima die, interdum autem quarta, vel septima, vel vndecima & in aliis, & aliquando in die nō critica, & tūc est malum, quoniam natura stimulatur vel à multitudine, vel à qualitate pessima, vel ab utrisque simul. Etenim materia, quæ facit has papulas, est sparsa per omnes venas vsque ad exteriorē cutem. Apostemata inguinum fiūt à materia, quæ est in venis epatis, alarum vero cū est in venis, quæ à corde recipiūt, sed post aures si sunt à capite fluit materia, quæ apostemata diuersimode & sapiētes & vulgares appellāt, nam quidam bubones, quidam anthraces vulgares vero nostri pestem. sed Auicēna uidetur, ex quadam antiqua appellatione, omne apostema malignum nominare althohoin, sed

de nominibus non sit quæstio. Fiunt & alia apostemata aliquando magna, & aliquando parua, quę certũ sibi locũ non determinãt, eaq; uocant carbones, & sunt diuersi in colore, & substantia fiunt & erysipelata mala, & in ore alcola, ac squinantia, ac etiã apostema pleureticum, sed in vltima morbi sęuitie accidit extremorum corruptio, de qua Hippocrates scripsit, et etiam mirabilis Auenzoar primo theisir in magna pestilentia, quod & nostro tẽpore fuit, inter quos uidi quẽdã cum febre pestilentiali, cui in vndecima utriq; pedes corrupti sunt & die decimaseptima mortuus est. Et apud diui Iuliani ædem, cuidã mercatori superuenit faciei tumor cum quamplurimis carbunculis, cum corruptione sphacelosa non solum cutis, sed partis carnosæ, qui consilio nostro & aliorum liberatus fuit, uiuitq;: Præterea Dominus Iacobus Ricius chirurgus hospitalis lazareti veteris Venetiarum cõquestus est mecum in quadã cõstitutione epidemica, q; ferè omnibus quibus inguinum apostemata acciderant, post eorum apertionẽ subsequebantur erysipelata mala ęstiomena, etenim denigrabant, ac corrumpebant membrum, cui de faciẽdis remediis consului, ut suo dicã loco, ubi scilicet tractabitur de cura apostematũ, hęc pręterea febris et si ut plurimum continua sit, tamen aliquando uisa est cum exiguo rigore affligere cępisse, ac cum sudore terminasse, queadmodũ fieri assolet in febribus salubribus. Et aliquando incipit sine typo, uel frigore cum caliditate leui sine ariditate, quę tamen est cõtinua, ac semper cũ illa intrinseca conturbatione & anhelitus frequẽtia, ac quadã vigilia. Et ideo medicus prudens sit cautus a principio, & pręsertim quando plures vno tempore a febre corripiũtur, etenim isti ut plurimum pereunt, cũ materia & qualitas venenosa intus lateat a principio, & uirtus deterrita subcũbit, postquã cõmunicata est pestifera qualitas cordi, cum tali febre & accidentibus occultis, Dominus Apollonius Massa, eques æquoris, pater meus mortuus est in Sexta (cuius animę deus misereatur) non enim apparuerunt accidentia fortia, neque caloris uehemẽtia, sed stomachi anxietas, qua priuabatur a somno si bene recordor, Ego.n.tunc quartundecimũ agebam animum. Neq; in quacunque febre pestilentiali apparent pustulæ, & maculæ, uel apostemata dicta, sed sæpe cũ mitioribus accidentibus tendũt ad mortẽ. Præterea eiusmodi accidentia post nonnullos dies, & interdũ a principio febris apparent, ita ut aliquando febris vere, aliquãdo falso declinare uideatur, & tamen post hoc superueniunt lipothymiæ, paralysis, impotẽtia motus, uertigines, scotomię, surditas, debilitas memoriæ, insipientia, & incompositæ locutiones, mutationesq; existimationũ, et cogitationũ, ac discursus ab eo statu, qui fuerat secundũ naturã,

talia accidentia vidimus, anno infelicissimo 1527. & 1528. Et Galenus tertio de accidenti & morbo authoritate Thucididis. Preterea in libello de virtutibus naturalibus cap. v. attestatus est se etiã uidisse multos amisisse visum, & etiam pro vno videre tria sine oculorũ apparenti lesione, & addit hoc esse simile phreneticãtibus. Ego vero plures cum talibus accidentibus in febre pestilentiali vidi sanatos, quosdam beneficio nature nullo adhibito exteriore auxilio, quosdã etiã quibus necessaria fuerunt medicinalia instrumenta, sed vtcunq; sit, hæc febris semper contagiosa est, quæ, vt dicebat Auicenna, sæpe est cũ accidentibus fortibus a principio, eaq; permanent, immo intenduntur usq; ad frigiditatẽ extremorũ, & uirtutis dissolutionẽ, conuulsionemq;, ex quibus nemo euadit, tale genus febris passus est doctissimus ac carissimus frater meus Thomas Massa, qui in quarta defecit cũ omnibus accidentibus fortibus, & apostemate inguinis, q cognoui licet eo tẽpore nondũ essem medicus. Hec uero incidentaliter dicta pro superiorũ confirmatione satis sint, quoniã maiora, quæ sequũtur declarare oportet. Et sunt causæ febriũ pestilẽtialiũ, quas, ut dixit doctissimus alsaharauius primo theotrice, tractatu. vi. capite secũdo, impossibile est nõ euenire unicuiq; mẽbro trãsgredieti modũ naturalẽ.

Ostendit causas febriũ pestilentialiũ aliaq; scitu dignissima. Cap. 5

SCribere quædam mihi visum est antequam huius febris causas declarare aggressus sim, multum enim conferunt ad earũ cognitionem. Et quoniam agentes sunt, primo per qualitatem occultã, venenosam, non tamen sine qualitatibus manifestis agunt. Dicatur igitur sic, causarum febrium pestilẽtialiũ quædam sunt exteriores, quas primitiuas vocant medici, quædam uero interiores, quas in duas diuidentes causas, alteram antecedentem vocant, alteram coniunctã. Sit ergo in primis sermo de primitiuis, quoniã exteriores sunt, neq; corporis nostri partes. Non enim sum inscius Aristotelem secundo de physico auditu, quatuor omniũ rerum causas posuisse, quas, (et si etiã ad ægritudinũ causas adaptari possint) cum tamẽ earũ nõ sint, quæ ad huius negotii curã conferant, dimittere decreui, attamen qua ratione ægritudinibus quatuor causæ adequari possint, vt clarior sit doctrina hæc, in processu dicam, nunc tamen causas medicorum ita declarabo; Causæ primitiuæ seu exteriores sunt causæ non corporales, vel non sunt partes corporis nostri, & sunt causæ effectrices, quæ agũt dupliciter, videlicet qualitate manifesta, & qualitate occulta, et vt clarius hoc intelligas, causæ extrinsecæ aliquando agunt quadam actione non perceptibili sensu, cognoscitur tamen discursu, & ratiocinatione neq; cœleste est, seu ira dei, vt multi crediderũt, quos redar

guit Galenus primo prædictionum, comēto septimo. sed sunt dispositiones aeris, vel alterius rei occultæ faciētes effectum inopinatum multis. At sapiēs cuius est omnia scire ut decet, teste Aristotele primo diuinæ sciētiæ, nō ignorabit cū prȩuiderit seu sciuerit causas: Neque ex dictis negauerim quod (vt aiūt astronomi) super cœlestia corpora in inferioribus quasdam dispositiones influāt, quæ nisi à particulari agente perficiātur, nullus erit effectus. Qua autem ratione causa exterior siue primitiua in corpus nostrū agat pulchra ac scitu digna est inquisitio, & maxime in illis febribus pestilētialibus; quæ à causa extrinseca hominibus accidūt, supercœlesti influxu dimisso, vt sunt cōiūctiones Saturni cum Marte, & Lunæ cū tali cōiūctione inclinātes ad suscipiēdas qualitates manifestas exuberātes, atque adeo occultas. influxus enim à medico neque impediri, neque remoueri possunt, nisi forte sciuerit huiusmodi super cœlestem influxum, alterādo aerem, cæteraq; elemēta, & qua ratione homines regēdi sint iniūxerit resistēdo, aut prȩceperit procul ire à regione & loco infectioni præparato, vt dicā vbi de præseruatione agetur, atque ita talē influxum in hominibus fieri impediri. Causæ igitur exteriores agere possunt, primū quoniā aeri, aquæ, & terræ alterationes quā plurimȩ à qualitatibus manifestis, quæ sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, accidūt, præterea à qualitate occulta, quæ nō fit sine disproportione qualitatū manifestarū. Ignis vero ob caliditatis syncceritatē putrescibilē alterationem nō recipit, vel aliam, cum qua sub forma ignis manere posit, vt docte declarauit Aristoteles quarto meteorū. comēto secūdo. & xxv. particula problematū, problemate. xix quare de igne nihil dicā; notabis tamē nullū elemētum purum putrescere, sed illa tantū, quæ admixta sunt præsertim cū humiditate; & ea ratione ignis, et illa vltima pars aeris prope ignem, cum sit exiccata, ac igne plena nō putrescit, cæteræ vero partes aeris, quoniam recipiūt vapores quāplurimos à sole & ab aliis eleuatos, diuersas putrefactiones suscipiūt; quēadmodū illā, quā pestem vocāt, hominibus & reliquis animantibus pernitiosam; Attamen non protinus ꝙ homini mortale est, idem erit & cæteris. Etenim diuersæ alterationes diuersis animātibus & plantis sunt mortiferæ ac corruptrices; Præsupposita vero, ex sētētia philosophi. Putrescibile alteratione, et corruptione esse in tribus elemētis, videlicet in terra, aqua, & aere, vel in corporibus terrestribus, aquaticis, & aereis; Dicamus ꝙ terra sȩpe ex nimia humiditate in se, vel circū se detēta, cū aliqua debili caliditate exteriori, vel inferiori, putrescit in se, ex q̄ deinde putredine, quȩ in illa terra nascūtur, vt sunt olera grana, & id genus fructus, retinēt inse-

qualitatem illã malã putredinalem; ita vt si comedantur non solum ab hominibus, verum & ab aliis animantibus diuersas generẽt ægritudines, & aliquando mortiferas, secũdũ diuersos gradus putredinis. Vapores præterea, qui ab ipsa eleuantur, si corpus extra contangãt, inficiunt; sæpeq; visæ sunt plantæ interiisse ex alteratione corruptiua terræ. Pari ratione de aquæ putredine dicendum est, etenim ex iã dicta humiditate, & calore debili fit alteratio putrescibilis. Quare & pisces & alia quamplurima in ipsis aquis putridis nascentia, vel morantia, si edantur, malas gignunt ægritudines, ac etiam si ipsa aqua sic alterata quis vti voluerit, vel bibendo, aut carnes & alias res coquẽdo, vel aliter miscẽdo, malos gignet morbos, similiter & aer si alteretur á iam dictis qualitatibus excedẽtibus, cũ ex ipso spiritus cordis refocilletur per inspirationem (vt dixit Galenus in libello de anhelitu) pessimas facit ægritudines. Igitur omnibus istis, vel in se, vel per aliud ita alteratis, vt putredinalis ipsis accidat alteratio & á propria natura egrediantur, necessariũ est ea minime pro operationibus vitæ necessariis conueuientia fieri, immo perniciosas præparant dispositiones. Sæpe ẽt huiusmodi elementa communicant sibi alterũ alteri suã malã qualitatem, vt terra aquæ, & aeri, aqua, terræ, & aeri, aer terræ, & aquæ, ita vt sæpe inter se suas malas qualitates cõmunicent & contangentia inter se corrũpant, vel per ea, quæ cum ipsis sunt, vt puta aerẽ & terrã alterari á nimia pluuia, vel ex rabida solis caliditate, aut á vaporatione paludum putridarũ, & ex inundatione, aut á re putrida seu parata putredini, vel trãseunte per putridũ solũ. Sed aer putresit ab omnibus istis, quoniã terra & aqua, cum recipiunt putredinem communicant suos vapores aeri, sicq; eum ad vlteriorem putredinẽ parãt, sunt & multa alia, quæ aerem inficiunt, vt cloacæ putridæ, sterquilinia, acerui rerũ putridarũ, loca aquis inũdata, vt sunt loca, in quibus riciũ seminant & vbi linũ macerant, sed inter cætera sunt corpora animaliũ mortuorũ & nõ tumulatorũ vel crematorũ quãdo corrũpuntur, quorũ meminit Galenus in libello de differẽtiis febrium, addens quod communitas vaporũ delatorũ á longissima regione, scilicet ex æthiopia, á ventis possunt aerem inficere, ex qua infectione febres pestilẽtiales per regionẽ illã gigni possunt. Et quãdoque dicta elemẽta á propria natura mutãtur ita, vt neque animalia bruta in ipsis degentia diu uiuere possint, attamẽ causæ huius rei sæpe ignorãtur. Neque dicendũ est elemẽta alterari in substãtia sua sine alteratione suarum qualitatum, cũ forma sine earum mutatione mutari non possit. Alterantur etiam elementa á qualitatibus manifestis si excesserint propriã naturam iustitialẽ teste Aristotele quarto

meteororum, quæ ita alterata pestiferas causant ægritudines, verbi gratia in caliditate & siccitate, sicuti quando sol est in corde Leonis in diebus canicularibus, etenim ex caloris uehementia calefit & exiccatur terra, aqua ēt & aer, ex qua in proportione et caloris excessu, sępe coloni & qui messem curāt, nimia & intollerabilia caliditate messem dimittūt, cū nō possint sustinere vehementissimum solis, calorē, terraq; inde exiccatur, ac sterilis fit, similiter, & aquæ alterātur (vt sępe dixi) vnde sequuntur iam dictæ ægritudines, & sunt tanquā causa primitiua extrinseca ex inæquali aeris proportione à nimia solis caliditate, aut quoniā non sunt venti, vel est priuatio pluuiæ, quēadmodū anno. 1530. in quo coloni tempore messis fugiebāt ob nimiā solis comburentis caliditatem, grana & messem dimittentes, multiq; mortui sunt ex nimia illa aeris caliditate, & non solū homines verū & bruta animalia, vtpote boues, equi, & alia. Similiter fit à frigiditate, siue fuerit ex ventorū septētrionaliū sufflatione, siue ex distantia solis ab aliquo loco, siue ex nō recta radiorū inspectione, uel quomodocunque sit, nimia frigiditate alterantur elementa, cū frigiditas sit de virtutibus actiuis, quæ potest sua actione destruere caliditatē conseruatiuam aeris, qua debilitata facile putrescit, cū sit humidus. Etenim vna causarū putredinis vt dixit Auerrhois tertio colliget cap. iii. est frigiditas dominans calori intraneo extinguens, cum qua pręter malignitatem pestiferam putredo agit in corpus nostrum, quod clare docuit Galenus. xi. artis curatiuæ, cum ait, fit condensatio meatuum à nimia exteriori frigiditate, quare ipsa prohibita transpiratio putredinis causa est, & aliquādo pestiferæ febris, secundū humorum præparationē, & ista erit pestilentialis febris à causa intrinseca; quoniam mala qualitas pestifera nō est exterior, tametsi causa obstruens meatus fuerit primitiua. Etenim in præcedētibus dictū fuit hanc febrē differre ab aliis putridis febribus in modo susceptionis, quoniā aliæ febres putridæ, habent prohibitā respirationē causam facientē ad putredinē humorū. Et ista sine huiusmodi prohibita respiratione fieri sæpe pōt, scilicet à contactu extrinsecæ putredinis aeris, vel alterius rei vaporosæ per poros susceptæ, nō tamē diu putredo, siue humores putridi esse possunt, quin faciāt obstructiones & prohibitam respirationem. Quare notare oportet febrem pestilentialē sæpe posse incipere nulla prohibita trāspiratione præcedēte vt causa. Ab humiditate præterea aerem posse corrumpi nemo dubitat, cum, ex sententia Aristotelis quarto meteororum, humiditas mater putredinis sit, & causam corruptionis, atque omnium malorum sapiētes omnes humiditatē dicant. Quapropter cum in iam dictis humiditas super-

flua ac inæqualis fuerit, alterat corpora alteratione ad febrem putridam suscipiendam. Neq; desunt rationes demonstrantes siccitatem in elementis causare febrem, cum siccitas sit lima caloris, teste Auicenna prima primi, tabescunt enim nimia siccitate corpora ac inflammantur inflammatione forti & extranea, quod si nimia fuerit & infrigidet, ex infrigidatione, & improportione qualitatum inter se redditur corpus putredini paratum & est sententia Aristotelis quarto meteororum. Et ut omnia unico verbo perstringam, quacunque improportione data in elementis mutantur corpora in ipsis degentia, vt clare in libris epidemiarum scripsit Hippocrates narrando causas ægritudinum cõmunium, ex diuersa aeris nutatione, cũ dixit in tharsso fuisse pluuias multas, ac ventos australes, tempestates repentinas cum multo septentrione, & niuibus, hæ mutationes diuersæ fuerunt, & in diuersis anni temporibus, quas mutationes clare ex verbis Hippocratis fuisse colligitur in primis qualitatibus, ac etiam in consequentibus ipsas primas qualitates, cum dicat, cum turbulentia, que ex primis qualitatibus alteratis prouenit, vt docte interpretatus est Galenus. Huiusmodi mutationes corrumpunt elementa, siue mutant secundum partem eorum naturales qualitates, a qua mutatione sequuntur febres pestiferæ, ac perniciosæ, quæ sibi varia accidentia associant, vt est tabes, tussis sicca, fluxus ventris mali, sudores frigidi, pustulæ seu papulæ, ac maculæ diuersæ, sine eminẽtia, apostemata & putrefactio membrorum, & quamplurima alia, quæ mutationes temporum non solũ ab antiquis visæ sunt, sed etiam a nobis. etenim anno infælicissimo. 1527. ex inundatione aquarum in quãpluribus locis Italiæ, & ex improportione in multis prouinciis præter Italiam secutæ sunt febres pestilentiales, præsertim in pauperibus, cum omnibus fere accidentibus, ab Hippocrate, & Galeno recitatis, sed in Italia hæ febres deteriores fuerunt, ex penuria annonæ, etenim pauperes egentes ac res malas comedentes, pessimas contraxerunt ægritudines, ita vt pauci euaserint. Collige igitur quod elementa alterata tam a qualitate manifesta, quam occulta, communicant talem qualitatem corporibus præparatis per vapores, vt est videre in sterquilinio putrescente, a quo sensati eleuantur vapores, qui ingrediẽtes poros vel meatus, & maxime per os & nares inspirando (vt dixit Galenus in libello de differentiis febrium) & alias vias, vt sunt oculi, & aures; cum uero sint putridi aut affecti qualitate pestifera, dum tangunt membra humores & spiritus corporis inficiunt eadem putredine, vel qualitate venefica, quali ipsi infecti sunt, cum agens quodcunq; nõ agat primo nisi per virtutem excedẽtẽ. Quæ qualitas prior impressa serpit per partẽ post partẽ, ita ut vna pars alterã inficiat, vsquequo

suam imprimat similitudinem, quę aliquando toti corpori communis est, & aliquando vni, vel pluribus membrorum, similiter & aliæ res, ut sunt cibi mali inficiunt corpora parata, inter quæ sunt corpora habentia superfluitates fætidas, quemadmodum sunt, qui ex immūditia, aut a propria cōplexione fætent, fætore horribili, vt sunt hebrei, ęthiopes, & cucullati quidam. Nam cum in stomacho cibi mali putrescunt, siue ante conuersionem, aut digestionem, siue post, cūm talia corpora fætentia, vel malas multiplicantia superfluitates, sint paratissima, inficiuntur. Et facta mala chili præparatione per venas, corpori toti communicatur, atque etiam odores mali per nares suscepti, si a re putrida eleuantur, inficiunt. Hæc de exterioribus siue primitiuis, quæ tamen & antecedentem, & coniunctam facile exponunt, tametsi quidam crediderunt Galenum vnam tantum esse credidisse. Sed ut omnia clara sint, ad hoc etiam aliquid addam. Nam causæ antecedentes febris pestilentialis, & coniunctæ, sunt causę intrinsecus agentes, suntq; partes nostri corporibus infectæ tali qualitate pestifera, scilicet humores, spiritus, & membra, in quibus omnia genera febriū compręhenduntur, enim vero, quoniam hæ partes infectæ sunt dicta qualitate venenosa, febris pestilentialis fit, dixit nāque Galenus sexto de locis affectis, generari venenum ex humoribus in corpore, idq; agere actione mala. Hoc idem dicendum est de causis coniunctis, quæ, et si ab antecedentibus pēdeant, attamen quoniā distinctæ ab ipsis esse possunt, vt apparet de obstructione, & putredine, ideo distinctas medici causas ponunt, quæ cū non sine subiecto sint, per quod agunt, sunt corporales, quemadmodū humores, & vapores putridi, vel calefacti petentes, cor, in eoq; existentes, cum prędicta venenosa qualitate extraneum accendentes calorem, qui ꝑ arterias & venas toti corpori cōmunicatur, nisi impediatur. Nota tamē ꝙ cū humores, siue massa humoralis sapiat naturam aeris, quę calida & humida est, & putredo non fiat sine caliditate & humiditate, ideo hac de causa ab ipso aere alterātur humores siue massa humoralis est.n. massa humoralis ex sui natura inflāmabilis, quare ab extrinsecis facile alteratur. Habes ex dictis & causas agētes, & modū, quo causæ in corpus nostrū, siue in eius partes agere solent, & sunt de genere materialiū, in quibus etiam introducitur forma, quæ est caliditas extranea, cū qualitate pestifera, finalis autē causa, est illa vltima assimilatio, vt agens quantum fieri potest sibi passum assimilet, vt dixit Aristoteles secundo de anima, tex. cōmenti. 54. Dicant in hoc scribentes quicquid sibi videatur, quoniā impedimētū operationis nō est finis, sed potius quoddā sequens ex fine, vel causæ finalis effectus, collige igitur causas primitiuas febriū pestilentialiū esse aeris intemperiem, vel aliorum ele

mentorum, tam in qualitatibus manifestis, quam in occultis, quæ alterando partes nostri corporis ad suæ naturæ corruptæ similitudinem mutant, vsque ad cordis substantiam venenosam qualitatem communicando, vt dixit Galenus primo de differẽtiis febrium. Neque aerem infectum qualitate pestifera in manifestis qualitatibus multum excedere est necessarium, tametsi imprimat impressione mortifera, quę interficit sine uehementia caloris et aliorum accidentium. Et inter primitiuas causas, vt superius dixi, sunt res oẽs putridæ, præsertim corpora mortuorum, etiam si in longissima essent regione, cum venti ex illa regione perflantes deferant huiusmodi aeris vapores putridos, item apertio locorum subterraneorum, vt contigit tempore terręmotus, quoniam sępe terra aperitur ita, vt vapores ibi diu detenti & putridi aerẽ inficiant, sunt etiam euaporationes malarũ aquarum & paludum, præsertim vbi seminant ricium, nam uapores talium locorum aerem inficiunt ita, vt qui prope habitant facillime incidant in febrem pestilẽtialem, & videtur lenta cum grauitate capitis quibus anhelitus fœtet, ac etiam narium exhalatio, similiter mollitiones rerum putridarũ ut sunt coria & huius generis putrida. Etiam comesæ res putrescibiles mali chymi & præsertim carnes putridæ febrem pestiferam sæpe generant. Et temporum inæqualitas, est maxima causarum teste Hippocrate, cũ iam dicto cœli vel syderum & stellarum influxu disponente elementa & alia corpora inferiora. Neque te ignorare volo, præter canones medicinales voluntatem dei esse, etenim mirabilia sunt opera Domini, vt legitur secundo Regũ in sacris literis, cap. vltimo, & hæc sunt verba. Misit Dominus pestilentiam in Israel de mane vsque ad tempus constitutum & mortui sunt ex populo Dan vsque ad Bersabet septuaginta millia virorum, quod fuit tempore trium dierum, quæ res non est de consideratione medici. Etenim solus deus agit sine alteratione elementorum & aliarum rerum, sua absoluta potentia, vt recte dicunt theologantes. Neque mirari oportet si multa repetita sunt in hac causarum enarratione, quoniam hoc consulto factum esse uolui, ut clariora, quæ sequuntur, habeas.

Cap. 6. De signis futuræ ac præsentis febris pestilentialis.

SVmmæ vtilitatis fore putaui, si adamussim signa tam futuræ, quã præsentis febris pestilentialis posuero, cum sæpe ex præsensione, multæ vrbes, ac ciuitates, infinitique pene homines hanc sæuissimam futuram ægritudinem fugerint, & ex imminenti calamitate euaserint, vt clare, colligitur ex dictis Hippocratis et Galeni, quorum alter Athenięses, alter Romanos pręsensione a peste liberauit. Igitur diuidamus signa secundum duplex genus. Etenim quædam febrem pestentialẽ

futuram minantur, quædam vero præsentem ostendunt. Quæ autem futuram febrem pestilentialem minantur, vt in præcedenti capite dixi, sunt corpora superiora coniunctiones, & alii aspectus, & virtutes stellarum fixarum cum præparatione corporum inferiorum, quoniã & si omnia sydera & stellæ cum virtutibus & proprietatibus eorum minarentur futuram pestẽ, & corpora inferiora minime parata essent, nullus sequeretur effectus, nam vniuersalis causa sine particulari agẽte passum disponente non agit, turpe ergo est credere, vt multi astronomizantes credunt, corpora cœlestia in inferiora agere actione particulari, siue hanc actionẽ ponant eclipsim solarem, siue aspectus aliorum syderum, vt puta Saturni & Martis, ac aliarum stellarum fixarum, vt clare est videre apud Ptolomæum prima & secũda quadripartiti vbi per aspectus diuersos futura prænosci docet, sed cum hæc sint alterius negotii ab arte medica, ac plurima indigeant enarratione scientię astronomiæ, satis sit admonuisse legentes videre astronomos de hac re scribentes, eosque admonitos velim ne stulte cum illis, qui iudiciariã profitentur, futura vaticinari velint, per superiores influxus sine prædicta inferiorum corporum præparatione, quoniam mendaces erunt, ac fatui iudicabuntur. Igitur dimissa dei reuelatione, vt fuit illa dauidis regis, iudicent per ea, quæ sensui nota sunt, nõ neglecto cœlestium corporum influxu, sicque futuram & non futuram febrem pestilentialem prædicent. Dicamus ergo cum sapientissimo Hippocrate, si quatuor temporum qualitates, & dispositiones non seruauerint naturam suam, sed fuerint obscurationes solis & tonitrua extra suum tempus, fuerintque pluuiæ multæ, ac apparitiones quarundam stellarum, ut sunt cometæ & aliorum vaporum, qui accenduntur, & in modum stellæ cadentis videntur hec omnia signa aeris mutationem manifestam ostendunt, cum sint exhalationes aeris mali. Quare istis apparentibus cum super cœlesti influxu certam & indubitatam febrem pestilentialem expectare oportet, quoniam dixit Aristoteles prima particula problematum, problemate. xi. si a terra multi vapores ascenderint annus pestilentialis erit. Præparantia vero corpora inferiora sunt tempora non proportionata, vt est aer diuersus cum paucitate pluuiæ, nebulosus ita, vt ostendant pluuiam futuram, & tamen non pluat, sed remaneat aer turbidus cum caliditate æstuosa, aut etiam si pluerit remaneat tamen huiusmodi caliditas æstuosa, quod etiam malum est si in fine veris frigus superueniens meatus astrinxerit quoniam præparabit humores ad æstatis putredinem, similiter etiam si æstas calida & humida fuerit, vel calida caliditate vrente ad putredinem præparabit. Nam caliditas urens sane, cutem exsiccando, meatus abstringit,

& fit

& fit prohibita respiratio, vt cõtingit in diebus canicularibus, similiter & priuatio vẽtorum, & solis obscuratio ob aeris crassitiem, præsertim si post veris inordinatã cõstitutionẽ, cũ frigiditate obstruente meatus fuerint, præparãt, & sunt signa futuræ febris pestilẽtialis. Præterea æstas si fuerit calida caliditate æstuosa, vel si fuerit frigida & inæqualis, ac in suis diebus in lumine diuersa, cũ diei ac noctis diuersitate longinqua à naturali sua dispositione, cũ ventorũ sufflatione, futuram febrem pestilẽtialem ostẽdit. Insuper autumnus calidus & humidus, aut frigidus turbulẽtus & pluuius cum sufflatione malorum vẽtorũ qui illius regiõis fuerint, dixi illi regiõi, quoniã sũt quidã vẽti cuipiam regioni insalubres, cæteri vero salubres vt est Venetiis meridionalis ventus, qui &si multis regionibus noxius sit, attamen Venetiis cum ex mari proficiscatur salubris, aut certe innoxius est, quod etiam attestatur Rabi Moses nona particula suorũ aphorismorum auctoritate Galeni dicentis, ex mari meliores venire vẽtos, sed cum venti tam meridionales quam occidẽtales laxẽt corpora, in sui natura, cæteris paribus, sunt deteriores aliis, ac nocentiores. Quod si etiam apparuerint tonitrua, cometæ ac euaporationes accensæ, veluti stellæ cadẽtes, & aeris ignitiones certã febrem pestilẽtialem futurã enũciãt. Præterea si hyems calida cum multitudine nebularũ & sine pluuia fuerit, vel etiam nimis frigida & sicca, quoniam corpora debilitat, est causa nõ per se, sed per accidens, vel si fuerit cum quadam exhalatione vaporum super terram & sine ventorum sufflatione ita, vt aer caliginosus permaneat, Solq; suis radiis hos vapores penetrare nõ possit, sintq; cõditiones pluuiarum & tamẽ nõ pluerit, sed aer tenebrosus maneat cũ aliquo calore obtuso, vel etiã si nimium pluerit & aquæ abundãtes aerem corrumpant, hoc in quocũque tempore fuerit, vel quomodocunque aliter, cum iam super cœlesti influxu futuram omnino pestem ostendũt. Neque ignorare oportet corpus nostrum indigere inspiratione proportionata tempori, qua deficiente fiunt malæ ægritudines, vt inquit Auicenna secũda primi, de iudiciis temporum, dicens mutationes temporum mortiferas esse, quod affirmant scripta Hyppocratis primo Epidemiarũ de Thaso in quo fuerũt mutationes temporum pluuiæ, obscuritates cum caliditate & alia, vt ibi apparet. idẽ ẽt ea, quæ in tertio Epidemiarum scripsit, attestantur, cum dicat annũ illum pestiferum fuisse pluuium, austrinum, sine aura, siccum præterea & tenebrosum ac nubilum, & in omni tẽporum parte diuersitatem ostendentem. Et etiam per omnes fere libros pro signis & causis febrium pestilentialium has temporum mutationes assignauit, has quidem mutationes vidimus etiam nos

præcedẽtes annõs illos infelicissimos. 1527. & 1528. nam fuerũt pluuiæ multæ, ac diuersitas in temporibus, postea secuta est mortalitas. Etenim cum aer alteratur, in eo degẽtes per inspirationẽ, aut per cõtactum inficiũtur, & id est causa febris pestilẽtialis, vt dixit Galenus primo de Differẽtiis febrium. Sed inter cætera signa futuram febrem pestiferam ostẽdẽtia est multiplicatio animalium, quæ ex putredine generãtur vt sunt locustæ, muscæ, vermes, & alia id genus animalia, nõ solita in illa regione apparere. Notabis tamẽ homines, qui in aere malo educati sunt minus paratos esse vt in hãc febrem incidãt, idq; est aut quod assueuerint putrido aeri, assueti enim minus lędũtur quam insueti, vel quoniam aer nõ est paratus suscipere pestiferam qualitatem, quãquam sit male affectus, vel ex vtroque & ista ratione qui in carceribus sunt nõ ita ægrotãt. Etenim lõgè distat qualitas à qualitate tam in manifestis, quam in occultis, sunt & aliæ quamplurimæ res dignæ notatu, quas breuitatis gratia omitto, cum de signis futuræ pestis, quæ ex aquarum alteratione mala fit, dicere vtilis sit. Cũ igitur in aquis aliquod signum putredinis apparet, qđ cognoscitur, quoniã præter propriam naturam fiũt turbidæ, aut sapor in ipsis mutatur, vel odor, vel quia caliditas quædam insuauis & in substãtia limositas videtur, vel quod mutata sit ad aliquam aliã qualitatem ita malã vt pisces & alia animalia degẽtia in ipsis moriãtur, vel ab ipsis fugiãt, & ẽt si animalia, vt armẽta, pecus & alia ex ipsarũ potu vel ægrotẽt, vel moriãtur, sæpe enim ex terrę putredine aquæ, quæ ex ipsa terra scatẽt, vel super eam trãseũt, corrumpũtur, quod si in ipsis aquis animalia nascãtur, quæ ex putredine gigni solẽt, aut quæ nõ solita sunt in ipsis nasci, vt puta ranæ, vel pisces quidam mali, aliaq; eius generis, aut quod in ipsis nascãtur herbæ malæ putridæ, vt est alga, & cãnæ, vel etiam si diutius morẽtur in locis paludosis, vel in nõ paludosis, aut si in ipsis aquis ponãtur quædam vt molliãtur, quemadmodum linũ cãnabis, & spartum ex quo funes cõficiũtur, ita etiam pelles quas coriarii aquis molliũt, hæc omnia aquã corrumpũt. Qua corruptione cognita futuram febrem pestilentialem prædicere potes. Terræ vero putrefactæ signa sunt animalium ex putredine nascẽtiũ multiplicatio, vt sunt mures, ranæ terrestres, quas bufones vocat, & etiam rubetas. serpẽtes, ac vermes quamplurimi, & alia, præsertim si minime in illis locis nasci cõsueuere, ista.n. vel in primis ostẽdũt putredinem terræ, per quam futuram pestem dubitare nõ oportet, & est signum vulgare ac rationabile, quod si, cum istis quoque, animalia in cauis terræ degẽtia derelictis subterraneis cauernis aufugiũt, vt sunt talpæ, cuniculi, lepores, vulpes, & hu-

iusmodi, vel si mortua per syluas, & nemora, vel prata inueniãtur, tũc certam pestem futuram ex terræ corruptione enũciat, & eo magis si pascua animãtibus mortifera, aut insalubria videris, vel alia terræ nascẽtia degenerare cognoueris, vt fructus omnes & grana cætera, vtputa si cum tritico infelicis lolii copia nascatur, vel etiam in aliis oleribus mutationes appareãt, à quorũ esu sequũtur sæpe, si mala fuerint, angustia & anxietates stomachicæ. Vel etiam si sterilis terra effecta sit, ita vt nõ germinẽt plãtæ, suo tempore, aut nõ nascãtur semina, seu quæ spõte nasci deberẽt, vel quod orta monstrosa sint. Quòd si etiam terræmotus præcesserint, à quibus terra aperta fuerit & ex profundo ipsarum cauernarũ vapores, qui diu retẽti fuerint, egrediãtur putridi & male olẽtes, grossi & turbulẽti timẽda est pestis futura. Nam sæpe ex effossione alicuius putei diu occlusi secutæ sunt in illis locis ægritudines malæ & mortiferæ, & etiam ex effossione paludum, quemadmodum Venetiis anno. 1 5 3 5. dum fodiebãt paludes prope litora versus locum, quem sanctum Erasmũ vocãt, & etiam prope cõtinẽtem in loco, quem luporum pũcta dicũt. Etenim mea quidem sentẽtia, quoniã vno tempore in ambobus locis fodiebãt per autumnum & hyemem, superueniẽte vere, calefactis vaporibus, qui continue exhalabant, facta est aeris malitia, à qua secutæ sunt febres pestiferæ cum angina, & apostemate pleuretico, hincq; multi iuuenes, senes, viri, & fœmellæ, sine discrimine perierunt, communis enim fuit ægritudo. Et quamuis multi tum Patauini tum etiam Veneti medici de causis dixerint ac scripserint, minime causam cognouerũt, cum multa dixerint, & fatua & ludibriosa. Ego vero præterquàm quod multorum tali ægritudine defuncta corpora secuerim, vt ostẽderem apostemata intrinseca (quoniã multi etiam nõ adesse apostemata intrinseca credebãt) dixi nõ eam esse causam, quæ in eorum scriptis assignata fuerat, erat quippe illa mala vaporum exhalatio, etenim foderũt maximam paludũ quãtitatẽ in utrisque locis. Quare in fodiẽdis talibus locis animaduertãt Domini Veneti quãdo loca sunt notabilis quãtitatis, & vẽti ab illis locis vapores ad vrbem adigere possunt. Vidi etiam mirabilia sequuta Venetiis cũ puteus antiquus mũdaretur, nam eorum qui descẽderũt in ipsum, partim repẽte exanimati sunt, partim graui ægritudine & diuturna detẽti, fuerũt etiã stupidi, muti & paralitici per multos dies. Et inter cæteros quidam ita anhelitũ fœtẽtem habebat ex causa dicta, vt nemo tolerare posset, vidi etiã mirabilia accidẽtia, ac subitaneam mortem sequutam in hominibus fortissimis cum descẽderẽt ad sentinam nauis onustæ tritico, tãta erat aeris exhalãtis cor

ruptio & fœtor, vt breuissimo quidem tẽpore morerẽtur, ita, vt nõ possent ne puncto quidem temporis in ipsa sentina viuere. Quod si quis tam robustæ fuisset valetudinis, vt illinc uiuens exiisset, incidebat in febrẽ malã cum accidẽtibus febris pestilẽtialis scilicet cũ pulsus debilitate, cordis pulsatione, lipothymia, stupore & reliquis malis accidẽtibus. Dicũt qui euaserũt se in primo ingressu sensisse caliditatẽ æstuosam à qua subito fiebant stupidi. Quare qui vigent ingenio hoc ipsum diligenter speculabuntur, primumq́ cognoscent cerebrum lædi, deinde cætera membra, & hęc satis de signis futurę febris pestilentialis ex corruptione aeris, aquę, & terræ sumptis. Ex quibus dictis omnibus, per lõgum examen tum sensatis rationibus fultis, tũ etiam auctoritatibus antiquorum cõprobatis, colligi potest. Quod si in Aestate apparuerit caliditas æstuosa & humiditas, multæq́ pluuiæ cõsequentes, & ventorum priuatio, in Autumno expectandæ sunt febres pestilẽtiales. At si in Autumno fuerint pluuiæ multæ ac australes venti cum aeris caliditate, & turbulẽtia, cum tonitruis ac vaporibus, qui accensi veluti stellæ cadẽtes apparẽt, in Hyeme erunt febres pestiferæ, est enim Autumnus tempus ægritudinale. Sed si in Hyeme pluuiæ sint multæ & aer nubilus ita, vt Solis radii non appareãt, sintq́ meridionales venti, ita, vt omnia humescãt, in vere minantur pestilẽtialem febrem. Si vero ver fuerit inæquale diebus ac noctibus fuerintq́ frigora, & calores in diuersis ipsius partibus, cum paucitate pluuiæ, ac aeris turbulẽtia, ventiq́ meridionales continuent, caliditas præterea fuerit æstuosa, in æstate expectãdę sunt febres pestilẽtiales. Neque tantũ variolarũ apparitio in pueris est signũ futuræ pestis, vt quidam crediderunt, quãdo ab extrinseca aeris alteratione mala nõ prouenerint, sed ẽt quæ prædicta sunt, sunt autem variolæ signa præsentem febrem pestilẽtialem ostendẽtia si cum aere præparãte corpora ad febrem apparuerint, cum tam variolæ, quam morbilli febrem pestilẽtialem sæpissime sequantur, vt colligitur ex processu Auicẽnæ prima quarti, quæ res nõ solum medicis sed vulgaribus & idiotis notissima est, in his tamen inæqualibus tẽporibus si quis se regimine congruo, ac illis contrario regere voluerit, vt dicam suo loco, & similiter ciuitates, domus, & plebem, ille omnia à peste præseruabũt. Et hæc hactenus de signis futuram febrem pestilentialem ostendentibus, quæ vero præsentem ostendunt audi.

Ea vero sunt in duplici genere, quoniam quædam sunt cõmunia & quædam propria seu particularia. Communia dico quando ferè omnes, vel ꝑ maiori parte, qui ęgrotant, febre pestilentiali et cõtagiosa ægrotant, & ideo cũ in ciuitate, vel in prouincia videris homines

cuiuscũque sexus, & ætatis diuites & pauperes malas res siue bonas comedentes, laborantes, vel vitam ociosam ducentes, febricitare simili febre, vel in una domo multos, vnum. s. post alterum, vel in eodẽ tempore, & ægritudo sit cum accidentibus malis, vt sunt alienationes, animi defectus, & pulsus, aut pulsus mutatio, & vrinæ diuersitas, apparuerintq; apostemata in emunctoriis, aut carbunculi in aliis membris, vel variolæ, aut morbilli & aliæ maculæ cutaneæ diuersæ colore, signum commune est febris pestilẽtialis à causis exterioribus factæ. Propria vero siue particularia signa, scilicet quæ in particulari homine febrem præsentem pestilentialem ostendunt, tametsi aliquando decipiant, sunt ista. Quæ si diligenter inspecta & maturè cõsyderata fuerint ostendunt sine hæsitatione medico veram cognitionem febris pestilentialis. Incipiam igitur ab his, quæ secundum essentiam in febre accipiuntur. Febricitanti febre pestilentiali sæpe calor exterior non vehemens sentitur, intus vero respectu aliarum febriũ ardentissimus est, ita vt sæpe visum sit ob nimiam intrinsecam caliditatem hos sese in puteos, & aliam aquam proiecisse, denudant. n. se, & linteamina aliaq; coopertoria proiiciunt, sæpenumero vero calor exterior est ita vehemens in pectore & vniuerso corpore, vt manus eũ vix ferre posit, quæ febris vtplurimum sine intermissione & cõtinua est, attamen aliquando incipit cũ frigore, non tamen semp, nec ob id ꝓcedunt paroxismi siue accessiones cũ intermissione sed continuãtur, quod etsi aliquando quottidie intermittẽtes visæ sint, hoc rarũ est. Pulsus ẽt vtplurimum debilis est, et paruus à principio, aliquãdo tameõ fortis, sed non diu permanet, quoniam fit diuersus, & malus, velox, & frequens, quã frequentiam à paruitate fieri rationi consonum est, & sic videtur in pulsu non esse magnam alterationẽ, sed quando comparãtur eleuatio pulsus ad depressionem, depressio maior est. Sæpe ẽt prima die cadit virtus, Istis ẽt sæpe lipothymiæ, vel animi deliquia accidunt & frequentia anhelitus, qui sæpe cũ fætore non paruo est, suntq; tristes, inquieti, ac intus, vt dicebat princeps, cõturbati, & quando caliditas est intus in pectore tunc magis cõturbãtur, & exteriores pectoris partes ardentissimè calent. Sunt præterea nausea & deiectiones appetitus, & vomitus, & tensiones hyppchõdriorũ, facieiq; mutatio à naturali sua habitudine in colore & figura & est signũ malũ vt dixit Galenus duodecimo artis curatiuę. Quod si os inspicias (vt in laborãtibus febribus pestilẽtialibus inspicere debes) inuenies rubedinẽ vstiuã, ac fissuras ex nimia caliditate, quæ, cũ est vehemẽs, ẽt linguã denigrat, & sæpe à prima die alcola apparet, & in gutture pustulæ paruæ diuersæ in colore, ac si essent ex genere

formicarum, quæ, ēt si febris non fuerit vehemens, maximam malitiam morbi ostendunt; sunt præterea aliquando apostemata, quæ squinantias vocant & tusses siccæ, quæ sæpe hanc febrem concomitantur. Sunt & inquietudines, alienationes, stupores, lassitudo membrorum, & motus volūtarii difficultas, immemores, surdi, vertiginosi propter malam materiam in cerebro, vel propter vapores ab aliis membris ad caput ascendentes. Vrinæ præterea vtplurimū turbidæ & veterinariæ, siue subiugales sunt, sine sedimento; quod si sedimentum est, multum, liuidum, globosum, & etiam sæpe diuulsum, ac commistum apparet, & ita secundum diuersitatem extranei caloris in hepate, ac dominium humorum, rubens, liuida, nigra, crassa vrina mingitur, quam sæpe calor naturalis minime regit, sæpe tamen prima die vrina bona in colore, substantia, quantitate, & cōtento apparet, & est quoniam nōdum nocumentum ad hepar & emulgentes venas communicatum fuit. Quandoque ēt vrina est subtilis, aquosa, lympida, sine sedimine, uel cū parua quadam nubecula diuulsa & alba, vel diuersa, frequenter ēt plurimum aquosæ vrinæ mingūtur, cū iā calor naturalis deficit, quę nec digestæ, nec coloratę sunt, & hoc fit non solū ab imbecillitate caloris, uerūetiam ex oppilationibus venarū & vesicæ fellis meatuū, quod si in principio sit, nondū calor febrilis regionem iecinoris & venas propinquas attigit; Sed mirantur medici cū vrinam in substātia, colore, & sedimine inspiciūt bonā, & tamen æger male habet, hoc aūt est ex dicta ratione, & etiā quod de ratione materiei, aut qualitatis uenenosæ non est mutare substantiam vrinæ in subtilitate vel crassitie, aut colore. Præterea feces sunt lenes, spumosæ, fœtidæ, natātes, diuersę in colore propter caloris imbecillitatem à uenenosa qualitate destruente virtutem spiritus, quæ feces sæpe sponte exeunt, vel sua qualitate stimulāte vel virtute iā imminuta non retinente. Necq; cū tali euacuatione alleuātur: immo cum hmōdi fluxu sæpe tendunt ad mortem, sæpecq; in tali secessu vermes non pauci apparent & est corruptionis maximum indicium, vomitus ēt frequenter malus apparet, cholericus videlicet, & sæpe niger, viridis, ac diuersus, cū odore grauissimo, sudores etiā sunt frigidi, & ad summum omnes superfluitates. s. egestiones, vrinę, sputamina, muccositates, & anhelitus fœtentes, cū non regulentur à calore naturali. Præterea sudores sunt frigidi diaphoretici siue resolutiui, qui cum apparent, propinquam mortem denūciant. Sæpe ēt apparent pustulæ, & maculæ diuersæ, in substantia, quantitate, & colore, vt sunt variolæ, morbilli, & aliæ papulæ, & maculæ, quas vulgo petichias, ego rectius pestichias nominare volui, quæ vniuerso

corpori euenire cõsueuerũt, sed frequẽtius in dorso, pectore, natibus & hypochondriis, quæ quando liuidæ, aut nigræ sunt, perniciẽ minantur, apostemata ẽt emunctoriorũ mala sæpissime apparent, præcipue in inguinibus, sub alis, et post aures ẽt, quę sunt diuersa, & quãdoque magna & aliquando parua, neque ex toto sunt diuersa, vt phlegmones perniciosi, & carbones adurentes ac mutantes membrũ ad rubedinem, liuiditatem, viriditatem & nigredinem, cum quibus sæpe membri corruptio sequitur, cũ sint à materia maligna, etenim carbunculi nullum sibi locum corporis terminatum habẽt, quod est quoniam materia iam ad membra exterius mittitur, natura siue virtute sequestrante. Sunt præterea & alia signa non prętermittenda in ambobus generibus signorum, quæ aliquando in futura febre vltimam malignitatem minantur, & aliquando non vltimam demonstrant: Similiter in præsenti febre, seu ægro febriente videbis sæpe certa salutis signa, & frequẽter irreparabilis mortis. Quare de signis quæ futurã malignitatẽ in pestilentia ostendunt sermo erit. Et sunt pluuiæ iã dictæ diuturnæ, longæ, inundationes aquarum vniuersales, caliditas æstuosa per totum annum, obscuritas solis, quæ fit ab aeris crassitie, & malis vaporibus, caliditas matutina cũ tenebrositate, & caligine, ꝙ si terræ sterilitas ad hoc accesserit, & corporũ superiorum influxus, vt sunt eclypses Solis & Lunæ, & coniunctiones triũ planetarum superiorum in signo humano, vt volũt astronomi. Proculdubio hæc signa vltimã malignitatẽ febris pestilẽtialis futuræ minantur. Quod si, vt sæpe visum est, aliqua signa aeris, vel aliorũ elementorũ, & reliquorũ ex dictis, in vna parte tẽporis fuerint mala, & in alia parte aliæ sequantur mutationes corrigẽtes, vel corrigere potentes priorẽ constitutionẽ sperandum est pestem non futuram, aut certe minus mortiferã, quod cõfirmat Auerrhois quarto colliget. In regionibus vero, ac ciuitatibus aliquando aeris futuram malignitatẽ pestiferã facilius credere possumus, si fuerint calidæ cũ multa humiditate siue hoc per se, siue per accidẽs fuerit, hm̃ōdi vero alterationẽ denotant & tẽpora anni in ipsis diuersa, & vapores paludum vel aliorũ locorũ putridorum, & vẽtorum flatus, vt sunt meridionales, aut coinquinatio aspectuum cœlestiũ ad illam regionem, vel ciuitatẽ, in qua degentes sunt pingues, ociosi, bibuli, & multum comedentes, vt sunt spurci mahumetani, quorum corpora cachochyma sunt, ac multitudinem superfluitatum aceruantia, & sunt apta ad suscipiẽdum sine resistẽtia, ex Galeni doctrina, quare in talibus regionibus, ciuitatibus & hominũ inordinato victu, & aliis dictis expectãda est in pestilentia, vltima malignitas, Sed vbi corpora sunt mũda ac re-

gularitor viuentia, in illis regionibus minus patiuntur, sicq; minus malignæ erunt febres. Signa vero, quæ ad præsentem malignitatem vltimam, aut non vltimam faciunt, tametsi sæpe & medici, & ægrotantes decipiantur, quoniã sæpe vt dixi moriũtur ægri sine vehemẽtia exteriorũ accidentium, & sæpe euaserunt, qui cũ multitudine malorum accidentiũ fuerunt, erunt ista, in primis cũ patiens febrẽ pestilentialẽ anxius, inquietus cũ diuersitate pulsus, & debilitate fuerit, tametsi calor exterior non validus sit, signum est materiã esse cordi vicinam, aut ipsi valdè communicantem suam malignitatem. quod signum malum est, quod si cum hoc facies mutata fuerit, & liuida vel rubra, ac ad nigredinẽ declinans, non æqualiter sed inæquali, & vrina turbida sine sedimento in modum musti, mortem propinquã iudicare oportet, & præcipue si excrementa intestinorum diuersa exierint, lutea. s. natantia, pinguia, ac fætentia fætore horribili, atq; etiam si vomitus diuersus fætidusq; fuerit, quod si istis associẽtur sudores frigidi, resolutiui, quos diaphoreticos vocant, & animi defectiones & extremorũ frigiditates fuerint, etiã sine sudore, ac apostemata inguinum, vel tubercula per vniuersum corpus, & aliæ papulæ apparuerint, vt sunt carbunculi, variolæ, morbilli, pestichię, in quibus color sit malus violaceus. s. liuidus, viridis, & niger, sintq; tardi exitus, & ex eorũ apparitione æger non alleuietur, signa perniciosissima sine spe sunt, & eo magis si anhelitus fæti dus fuerit, quoniã confirmatã putredinẽ in regione cordis ostendunt. Quod si ex prædictis signis malis aliqua bona fuerint cũ fortitudine virtutis, prorogabitur ęgritudo, sed semper exitus incertus est, & timendus, quoniã dicebat Hippocrates secundo aphorismorũ, Morborũ acutorum non esse ꝓnunciationes certas salutis, aut mortis, attamẽ si apostemata inguinũ carbones, variolæ, morbilli, & pestichiæ fuerint nigræ, semper pernitiẽ ægrotantis demonstrant. Et quoniã diximus hanc febrem in tribus generibus febriũ sine controuersia fieri posse, & non solum in generibus tãtũ sed in eorũ speciebus, ideo eas cognoscere oportet ex propriis signis attestantibus caliditatẽ accensam esse, quẽadmodũ in hmõdi materia cognoscitur tertiana per caliditatis vehementiam & mordacitatẽ perq; exeuntia cholerica, & periodos, quæ de tertio in tertiũ fiunt, ac alia signa naturã choleræ consequentia, quare istis apparentibus tertianã pestiferã febrem iudicabis, pari ratione de continua, quotidiana, & quartana iudicando procedere oportet. s. non solum per periodorũ accessiones, & decessiones, verũ ẽt per alia signa magis propria, quoniam dixit Auicẽna prima quarti, errare eos qui iudicant naturam febris per paroxismos, cuius etiam meminit Gale

nus,primo aphoris.sed eæ quidem febres per signa, quæ humores putrescentes ostendunt,cognoscũtur si putridæ sunt,sin minus,& si vaporũ ac mẽbrorũ solidorum inflammationem ostendant, aliæ febres erunt.Dico hoc quoniã posui hecticã pestilentialẽ,quæ quoniã raro est incipiens,vt testatur Galenus,ideo erit difficile eã in principio cognoscere,sed in processu si prorogabitur cognosces,ex caliditate magis imprimente per morã manus tangẽtis pulsum, & per duritiem ipsius & alia signa in febre hectica,quæ ipsam sequuntur, posita,vt est consumptio siue siccitas mẽbrorũ,& reliqua,vna cũ accidẽtibus febrium pestilentialiũ.Quod aũt febris hectica fieri possit incipiendo puta in ęstate ex nimia caliditate,& siccitate aeris,vel ab alia quauis causa,siue extrinseca siue intrinseca,nemo sane doctus medicus dubitat. Similiter ephemera ex signis propriis cognoscitur, tametsi raro ad manus medici hęc febris veniat,cũ sit unius diei febris, ac rarissimè ad tertiũ prorogetur,& ægri non nisi manifesta læsione percepta medicos consulant.Hæc tamen dixi vt acumen ingenii legentium magis excitaretur.Sed ad rem reuertamur,& est signorum notitia, quæ perniciẽ non omnino ostendunt,quãuis non sine timore sint,in primis sunt hæc,si febris fuerit proportionalis ætati,complexioni,sexui,tẽpori,cõsuetudini & aliis,minus semper erit metuẽda,præsertim si non fuerint accidentia fortia dicta superius, nec cõtinuata,nã in talibus vt plurimũ ægroti euadũt. Sed ex parte ægri requiritur,q̃d virtus fortis sit,& ipse ẽt non sit repletus malis humoribus,sitq; animosus,bene sperans,ac ad ea,quæ sibi offeruntur ad comedendũ bene se habens,ac libenter accipiat,neq; sit intrinseca cõturbatio,sitq; obtemperans medicis,& astãtibus,& inter cętera signa salutem ostendentia est quod ex remediis factis, siue fuerint alterãtia, siue euacuantia medicamina,sequatur alleuatio in febre,& accidẽtibus,ita vt in dies appareat remissio caliditatis febrilis, pulsusq; fortis fiat,& vrinæ ac aliæ superfluitates meliores exeant, operationes ẽt incolumiores habeat æger ita,vt,si dormierit,ab ipso somno instauretur,sed fortitudo pulsus cęteris signis melior est, neq; decipiaris,quoniã dicebat Auicẽna secũda quarti,q; sunt quidã pulsus mali,diuersi absq; ægritudine,quare oportet in iudicãdo hoc scire;notabis ẽt quod & si digestionis apparitio in vrinis significet victoriã caloris sup materiã facientẽ febrẽ & p consequens sit signũ salutis,attamen in febre pestilẽtiali signum fallax est.Postremo quod te adnotare oportet est in apparẽtibus,siue superuenientibus, apostematibus, tuberculis,et papulis,quod si sine labore exierint,citoq; apparuerint atq; cũ alleuatione febris,& accidentium ipsius,fuerintq; boni colo-

ris salutem promittunt, quod si contra fuerint, scilicet quod egrediā tur cum labore, tardè, & malè colorata, accidentiaq; non remittantur, perniciosum est signum. satis hæc sint de signis perniciem & salutem ostendentibus.

Cap. 7. Ostendit corpora præparata ad suscipiendam febrem pestilentialem.

PRæcognitiones maxime necessariæ ac vtiles sunt, cū sæpe multi præseruentur à febre pestilentiali corpora parata contrariis qualitatibus muniendo, vt docuit Galenus primo de differentiis febrium. Cum sint igitur corpora quædam sexu & ætate, ac cōplexione magis apta, quæ incidant in hanc febrē, attamen minime dicendū est, vt multi dixerunt, corpora ea. s. magis parata esse ad suscipiendū omne genus febrium pestilentialium, quæ calida & humida sunt, cū tamen corpora quædam cholerica & iuuenilia aliquando sint magis parata, puta tempore æstiuo, & ardentissimæ caliditatis, febri pestiferæ de genere tertianarum, quam cætera alia, quoniam cum cholera sit subtilis calida. s. & sicca, est magis inflammationi parata. Verū & corpora sanguinea in præsupposito casu, cholerica consequuntur, at tamen magis periclitari solēt, ex improportione in humoribus, præter pestiferam qualitatem, cum lapsus corporis sanguinei sit maior quam cholerici in iam dicta febre cholerica. Et e contra, quare oportet ea semper diligenter perpendere, quæ dicta sunt, anni. s. temperiē, & regionem ac consuetudinem, tum regimen cibi & potus tū exercitationem & alia cum ex istis corpora magis & minus parata reddātur. Sed cæteris paribus corpora latorum meatuum & plena malis humoribus paratiora sunt, & illa quę calida & humida sunt humiditate putrescibili, ac ea, quæ indulgent gulæ & otio, ex sententia Galeni primo de differentiis febriū, sunt ēt parata corpora illa, quæ balneis multis assueta sunt, quod meminit mirabilis Auenzoar. At frequenter coeuntia paratiora existunt, cū non multū resistant, & humida humiditate facta ex resolutione spirituum. Notabis tamen, quod si corpora strictorū meatuū corripiantur ab ista febre puta ex comestione rerū malarū sæpissime pereūt, cū vapores putridi pestiferi, ob meatuū angustiā, nō possint extra mitti. Et contra corpora illa sunt minus parata, quæ habent laudabiles humores, nec putredini paratos, sine supflua humiditate, sed cū caliditate adiuncta, quę sint moderata in cibo & potu, exercitatione, somno & vigilia, ac se ab amplexu venereo abstineāt, & maxime si habuerint expurgatorios meatus liberos, ita, vt neq; alui excrementa, vrina, aut aliæ superfluitates retineantur, Hæc vero non sunt contraria dictis superius, cū corpo-

ra cholerica superius dicta habeant coinquinationem ex humiditatibus, & aliis putredini paratis. Sũt etiã corpora pituitosa seu phlegmatica, & melãcholica minus apta ad recipiendum, cum sint frigida magisq́ꝫ resistentia caliditati putredinali. Mulieres etiã non ita paratæ sunt, tametsi humidiores natura sint, ac raram habeant carnem, frigidiores enim viris sunt, quapropter cum humiditas frigiditati associatur, maior est resistentia putredinali caliditati, præsertim si febres fiant à caliditate aeris. Verum in sexu mulierum illę paratiores sunt, quæ calidiores ac malis humoribus repletæ sunt, hæc vero conditio viris etiam communis est. Senes præterea ex eadem ratione minus parati sunt. Notabis tamen esse quædam corpora rara, tam sanguinea, quàm biliosa suscipientia qualitatem aeris pestiferi sine putredine ab initio, quanquam sint munda à superfluitatibus. Similiter etiã quædam pituitosa, sed minus & raro melãcholica cum sint sicca, sed quoniã tã pituitosa, quam melãcholica ab aere ambiente, vtputa ab hypocausto, quod vulgo stufam appellant, hinc enim facta pręparatione possunt infici, cum ex huiusmodi caliditate meatus latiores fiant, in his vero, scilicet, phlegmaticis & melancholicis febres pestilentiales pro maiori parte sunt mortiferæ, cum sint corpora debilia in omnibus fere virtutibus, & præsertim in vitali, attamen cum pestifera qualitas sit occulta, ea ratione aliquando contrarium videbis, quoniam sæpissime corpora, quæ non sunt præparata ex dictis causis à tali febre corripiuntur, quæ pereunt & hoc ex cuiusdam resistẽtiæ debilitate, & ex susceptione qualitatis pestiferæ per meatus ad mẽbra principalia delatę, iiq́ꝫ nõ caliditatis acuitate pereunt, sed qualitate ipsa venenosa & pestifera, adde etiam pauperes in sordidis casis, & comedentes vtplurimũ mala & multa cibaria sunt præparati ad suscipiendã hanc febrẽ. De præparatione vero à corporibus supercœlestibus præparantibus homines ad hanc labẽ suscipiendã, & magis vnũ quã alium hominẽ, ac vnam, quàm aliam regionẽ, cũ nihil rationibus confirmando dici possit, sed potius omnia obseruationibus quibusdã & credulitate dicãtur, nihil dicã, sed ea Astronomis ipsis dimittam, nos vero, quæ ratione & experimento consentanea sunt, prosequamur, vtputa si atrabiliosi & senes, aut mulieres aliquãdo magis à dicta febre corripiantur & in maiori numero, cum tamẽ dicta corpora minus parata sint, hoc ita esse credere oportet, quoniã qualitas pestifera (cũ diuersa esse possit) talis est vt magis in vnũ corpus, quàm in aliud agere possit, quoniam vt dicebat Aristoteles nõ quodlibet agit in quodlibet, sed determinatum in determinatum, adde quoq́ꝫ ex sententia Pauli Aeginetæ regimen non parũ facere

Et quamuis causæ occultæ ineuitabiles sint, ac minime à medico regulari possint, attamen siquis manifestas regulauerit, occultas facile euitabit, etenim actio non fit nisi in suscipiente præparato, satis igitur de corporibus præparatis hæc dicta sint, cum ex dictis superius multo plura colligi possint.

Prohæmium secundi tractatus, qui est de præseruatione à febre pestilentiali, in quo regulæ plures generales perscribuntur.

INcæptũ iam opus destitueram diuturna ægritudine fessus, at quoniã quãplurimi ex optimis amicis, quos habere credo, inter quos est clarissimus ac doctissimus Hieronymus Marcellus, & Vincẽtius Riccius Illustrissimi Dominii, à secretis, uir quidẽ doctissimus, me illud iterũ aggredi exhortantur, rem profecto non dixero difficilẽ, ac arduam, valetudinario, sed robustissimo ẽt viro, non corporis solum gaudenti robore, sed animi ẽt, quæ in media via ob suam magnitudinẽ scribẽtẽ deterreat. Sed cum promissionibus & amicorũ suasionibus obtemperare cogar, calamum accipio, vt opus incœptum perficiã. Iterũq; supplex Deum maximum oro vt vires meas imbecilles in re ardua roboret, protegat, ac iuuet, quibus ad finem perfectũ peruenire valeam, quoniam sine eius numine vana sunt omnia. Sed cũ medicina in præseruatiuam & curatiuam diuidatur teste Galeno & Auicenna, à præseruatione febris pestilentialis incipiã, tanquã à nobiliori parte, & ea ratione nobiliorem dico, quod ea ipsa primũ sit medici intentum, nam dixit Hali roboã tertio artis paruę, commẽto primo, medicinã per se esse ad sanitatẽ, per accidens vero ad ęgritudinẽ, ideo præseruatio dignior est. Quare cũ ex signis superius dictis pestilentialem febrem futuram timemus, regulæ præseruantes eã euitabunt, primum cum regimine exiccante ac superfluam humiditatẽ remouente perficitur, vt docte Galenus primo de differentiis febriũ, & Auicenna prima quarti docuit, humida corpora exiccãdo, siccaq; custodiendo, superfluitates extra ducẽdo, ac deniq; oppilationes aperiendo. Et ad summum reddere corpus mundũ ac bene spirabile est ex causis maxime præseruantibus à febre pestilentiali. Quod fit cũ regimine aeris, cibi & potus, exercitationis & quietis, in motu verò & amplexus venerei cõtinẽtur, inanitionis & repletionis, somni & vigilię, ac animi cogitationũ, quę omnia non vno modo administrari possunt, sed secũdũ rõnem diuersitatis cõplexionis, ętatis, sexus, regionis, anni temporis ac consuetudinis, cũ ex Hippocratis sententia,

hæ mutationes & diuersitates reddãt corpora magis ac minus, humida & plena. Sed in præseruatione causas cognoscere oportet quibus obuiãdo præseruatio fit. Quare ex qbusdã signis, vt cũ febris in vulgus grassari cœperit, cognosces, à malorũ cibariorũ comestione fieri. Quod scimus quoniã ii solũ, qui tales cibos comedũt, ægrotãt, cæteri minime. Vera pseruatio est hos cibos euitare, ac cũ hmõdi ęgrotis nullo modo cõuersari, quoniã aerẽ inficiũt, qui postea homines cõtingẽdo inficit. At si febris pestifera populetur ex præsentis aeris infectione cognoscitur ex sentẽtia Hippocratis, quoniã oẽs tã benè, quàm malè comedẽtes, & iuuenes, & senes, & pauperes, & diuites, ac ferè oẽs sine discrimine ægrotãt, aut si sint signa alia ex superius dictis ostẽdẽtia futuram febrem pestilentialẽ, ex aeris ambientis corruptione præsente, vel futura, corrigatur ipse aer cum cõtrariis ipsum exiccãdo, vt doctè docuit Hippocrates in libello de natura humana; regãtur ẽt corpora ne in aliquod genus febriũ non pestilentialiũ incidãt, puta putridarũ, aut ephemerarũ, ex inordinato regimine, tũ cibi, tũ ẽt laboris, ac animi cogitationũ, & aliorũ, quoniã si fieri põt, vt corpus sanum pestifera qualitate corripiatur, quanto magis corpus febricitãtis ab ipsa mala qualitate pestifera corripi poterit, cũ sit magis paratũ: fiat igitur alteratio in corporibus sanis paulatim ad contrariũ qualitatis pestiferę cũ exsiccatione, moderando secũdũ diuersitatẽ cõplexionis & aliorũ dictorum, neque sit subitanea, quoniã natura non patitur subitaneas mutationes. Et illis maior diligentia adhibenda est, qui vel natura, vel alia causa à febre corripi magis parati sunt, aut illo tempore à febre pestifera corripi videntur, verbi gratia si iuuenes ex aeris malitia, uel aliis magis à tali febre corripiãtur, illos magis regulare oportet. quod si puta mulieres magis & plurimæ ægrotauerint, illis maior diligentia debetur, eadẽ rõne in aliis pcedere oportet. etenim vt superius dixi qualitas pestifera magis uni, quam alteri complexioni, ætati, sexui, & aliis contrariatur sicq; corpora quædam paratiora sunt aliis, ex dispositione propria & ex agẽtis causæ virtute. Sed inter cætera præseruantia laudatur moderata exercitatio, quoniã exiccat corpus ab omnibus superfluitatibus, vt dixit Galenus loco sæpe allegato, & Auicẽna secunda primi, capite de exercitatione. Et ẽt dimissio frequentis multitudinis & maximè plebis est de illis, quę maxime præseruãt, quoniã pauperes & idiotę malè se in omnibus regũt, & ideo sunt corpora putridis humoribus plena, aut putredini parata, quorũ domus sunt semp immũdę & sordidæ vna cũ indumentis eorum. Fugienda præterea est commistio seu cõuentio cum infectis, & non tantũ ab hominibus infectis aufu-

gere oportet, verum etiam á locis & domibus ipsorũ, vtputa á vico & ciuitate, procul ire tutissima res est, & ab aliis locis. Sed quoniã timor reddit corpus paratũ, similiter & alii animi affectus mali, ideo præseruat inter cętera intrepide agere, ac solicitudines omnes dimittere & reliquas animi passiones effugere, vt est tristitia, ira, & aliæ. Hæc satis in genere dicta sint, & quæ specialia sequuntur audi.

De præseruatione ciuitatis á febre pestilentiali per præparationem aeris & aliarum rerum. Cap. 1.

GRãde onus videor suscepisse si tot sapiẽtes, qui ciuitatibus prę sunt, ac patresfamilias instruere uelim, quasi Mineruã docere cogitem. Sed quoniã nõ omnia possumus omnes, & piũ est custodire ciuitatem, patriam, ac propriam domum; ipsa pietate erga fratres motus nõ dubito excusari á sapiẽtibus, etiam si eos in re tam ardua & necessaria neque cuiuis nota instruere aggressus sum. Nõ enim adhuc ab aliquo ex antiquis aut recẽtioribus, hãc de præseruatione ciuitatum distinctam materiam scriptis traditam inueni, quare si omnia perficere non potero, erit saltem aliquid scripsisse materia scribẽtibus post me, qua possint hãc rem latius pertractare. Cõsueuere ferè omnes ciuitates politicæ, timẽtes futuram pestem ab aliis infectis locis, vel præcedẽtem (si iã populari febris pestilẽtialis cœperit,) ex senioribus & prudẽtioribus ciuibus, tribus aut pluribus curã totius negotii mãdare, dãtes eis auctoritates amplissimas in bonis publicis, & priuatis, in personis etiam, vt ex hoc vniuersale bonũ procurẽt. Qui in primis prudẽtissimi esse debẽt, ac misericordes, Ministros ẽt habẽtes prudẽtes & misericordes, qui sint bonæ fidei & habẽtes semper ante oculos mẽtis Deũ: hos pręsidẽtes, Veneti dominos salutis, seu prouisores sanitatis vocãt. Qare cũ aliqua oritur suspicio de futura infectione, vel etiam de præsenti, vel quoniam aliqua ciuitas vicina, aut lõginqua, cũ qua negociãtur homines vnius & alterius ciuitatis, infecta est hi prouisores, si nõ sunt creati, subrogẽtur, quibus vt dixi negotiũ totũ iniũgatur. Et quoniã dictũ est supra duplicem esse processum, scilicet præseruatiuum & curatiuũ, & præseruatiuus nobilior erat curatiuo & etiam facilior, quoniam cum minori detrimẽto & solicitudine opitulamur, præseruãdo ab ęgritudine, quàm ægritudinem curãdo. Igitur domini prouisores isti, si morbus pestifer in aliqua vicina, aut lõginqua ciuitate fuerit, qui cognoscitur cognitione cõiecturali ex multitudine ægrotãtium ac cito moriẽtium cum eisdem accidẽtibus sine vllo discrimine, ita vt & iuuenes, & senes, mulieres, & viri, & pauperes & diuites etiam ægrotẽt, tunc per literas, aut ministros, siue nũcios inquirãt modũ ægritudinis, atq; sciãt

accidẽtia & omnia diligenter perscrutẽtur, ac loca omnia infecta sciant. Deinde ipsa loca & ciuitates infectas toti populo manifestẽt, iussuq; publico imperent veniẽtibus è locis infectis in hisq; degẽtibus ne in suam ciuitatem, & in loca ei vicina accedere audeãt, pœnas à legibus institutas iniũgentes, sine exceptione personarũ. Et quoniam quãdoque peregrini, seu viatores nesciũt pręcepta priuatæ ciuitatis, ea de causa ministri sint ad fores ciuitatis, ac extra ciuitatẽ ad vias publicas, cõfines cõstituti, qui viatores iure iurãdo interrogẽt an à loco infecto veniãt, vel sint infecti, & procul abire moneãt. Nõ tamen in eos sæuiendo, sed diligentia charitateq;, & modestia imperent vt omnino procul secedãt, sunt enim homines & fratres in Christo, si Christiani sint. Quare interrogentur quid velint, an egeant pane, aut potu, vel aliis pro refectione necessariis; porriganturq; ipsis necessaria. Neque timeant accipere pecunias, & nummos siue argentei fuerint, siue aurei, metalla enim nõ inficiũtur, quod si timẽt, faciãt ipsas deponare in situlam aceti, & nihil amplius erit timoris. Sic licet facere misericordiam cũ fratribus aliis, quoniam & nos similiter accipere ab aliis misericordiam, si opus esset, desideramus, præsertim in re necessaria vitæ, vt est cibus & potus, ea propter huic negotio deputẽtur viri boni, viatoribus, & peregrinis inseruiẽtes, & illis quibus denegatur ingredi ciuitatem, fideliter necessaria ementes. Empta omnino deponẽdo in loco procul ab viis publicis, neq; eos prope alloqui, sed dimittere vt ipsi accipiant res vbi depositæ fuere. Quod si fuerit ciuitas sicut est nobilissima urbs Veneta, sint cymbæ ad huiusmodi negotium diuersis in locis, per quas à cõtinẽti ad ipsam vrbẽ homines proficiscũtur, sintq; ministri probi, fideles, ac diligẽtes, qui iureiurãdo interrogẽt, & inquirant, à quibus locis proficiscãtur, & mox ipsos admoneant. Quod si à locis infectis, aut suspectis venerint, nõ admittãt eos, sed reuerti iubeãt. Qui si è mari nauigiis venerint, minime e naui descẽdere cõcedatur, sed in sua naui quadraginta dies aut plus, minus'ue, secũdum maiorem vel minorem suspitionẽ infectionis maneãt. Vel dẽtur illis domus aliquæ à ciuitate distãtes, in quibus per iam dictos quadraginta dies commorẽtur. At quoniã cõtingit sæpe ut nõ modo ad hãc vrbem omnium nobilissimam, verum etiam ad quamplurimas alias, quæ mari proximæ sunt, onerariæ naues onustæ diuersis mercibus, & mala cõtagione aeris pestiferi infectæ, ueniãt, ideo in aduẽtu cuiuscũque nauis percũctãdum erit à præfecto nauis, & à nautis, mercatoribusq;, qui cum ipsa nauigarũt, vnde veniat, & quo morbo laborabãt populi earum ciuitatum, à quibus huc proficiscũtur, & quibus etiam accidẽtibus dicti morbi

associabantur,& an scilicet omnibus eueniebat sine discrimine sexus,aut ætatis scilicet senectutis,& iuuentutis;similiter an diuitibus,& pauperibus,ita scilicet vt maior pars eorum periret; & quæ accidentia cõcomitabantur eos,qui ex morbo periclitabãtur. Etenim si nauis è loco veniat in quo multitudo hominũ sine discrimine ęgrotabat,peribatq;,procul omni dubio illæ Ciuitates peste infectæ erãt, & homines morbis pestilentialibus moriebantur. Quare omnes(vt dictum est)interdicantur:ne forte si cum sanis negocientur , vel alio quouis modo conueniant,eos inficiant,maneant igitur in sua naui, vel in domibus dictis & vsque ad statutum tempus commorentur. Præterea nauis exoneretur,& merces ad locum aliquem amplum, liberum,& non conclusum adferantur ac ibi aeri, vẽtis,soliq; per plures dies exponantur,& ea quæ lauari possunt, lauentur : quæ vero non lauantur,alio genere expurgationis expurgentur, verbi gratia suffumigatione ex odoratis rebus in capite de aeris correctione dictis,vel frictione,aut abstersione,abrasione,vnctione,& eiusmodi generibus mundationum,quæ tergere,& exiccare superficiem rerum infectarum possint. Sed cum non omnes mercaturæ malitia aeris putridi inficiantur,omnes eas,quæ possunt, & quæ non possunt hanc malitiam suscipere,subscribam generali quadam enarratione, ne fastidio legentibus sim:incipiam autem ab illis,quæ facillime inficiuntur,infectæq; diu retinent,& alias res,hominesq; inficere possunt , si ab eis tractentur,& sunt lanæ,siue vellera omnia , cotonum, linum, cannabis,sericum, fila , & omnia ex eis ducta , uel quæ ex eis fiunt, aut texuntur,vt panni lanei, bombacinei,linei,& serici, tapetaq; , & pelles,plumæ,& pennæ,& eius generis res vna cum suis tegumẽtis, saccis,& funibus. Quæ vero nullo modo ab aere pestilentiali inficiũtur,sunt in primis metalla omnia,& ex eis facta,vt sunt vasa , & instrumenta diuersa ex ære,ferro,plumbo,stanno,argento,& auro: & ideo nummi siue denarii tam aurei,quam argentei,aut ærei , nullam pestiferam qualitatem suscipere apti nati sunt:instrumenta etiam & arma ferrea minime inficiuntur,quare tutò accipi possunt , quòd si quis timuerit , in aceto ea omnia deponat,vel lauet cũ aceto,& amota erit omnis infectionis suspicio. Similiter & gemmæ & lapides omnes præciosi,& marmorei minime inficiuntur: Frumenta etiam omnia,vt est triticum,far,hordeum,zæa,& similia , & eorum farinæ nõ inficiuntur,legumina etiam vt fabæ,ciceres,lentes,cicerculæ, fasioli, pisa & similia pestilentialem infectionem non suscipiunt . Sacci tamen,vel eorum tegmenta,& funes inficiuntur,quare euacuare oportet frumenta,& legumina,deinde sacci,& funes,& alia tegmenta lauentur,

uentur, & purificentur. Præterea fructus non inficiuntur ut sunt poma, pira, citonia, granata & reliqua genera pomorum, ficus etiam vua, nuces, Auellanæ, amigdalæ, castaneæ & similes eodem currũt cursu neque egent correctione, cum infectionem non suscipiant, eorum uero sacci; & canistæ lauatione expurgentur, vt dictum est, uel igne comburantur si pauci aut nullius ualoris sint. Carnes vero tam recentes, quam salitæ carent suspicione pestilentis infectionis, nisi putrescere incæperint; Sed quãdo hoc aduenerit, cõburendæ sunt; similiter caseus tam salitus, quam non salitus minime ab aere pestifero inficitur. Vina etiam, acetum, oleumque & huius generis res, & eorum uasa hanc qualitatem minime suscipiunt. Merces vero, quæ ab orientalibus partibus, aliisq; locis asportantur, & aromata omnia ut est zinziber, piper, garyophyllus, nux muscata, macis cinamomum, zedoaria, calamus aromaticus, lignum aloe, xilo balsamus, carpobalsamus, cubebæ, grana, sandalus, camphora, mirobalani, myrrha, belzuin, olibanum, styrax, laudanum, & similia odore fragrantia, quæ non solum malam qualitatem pestiferam non suscipiunt, sed eam corrigunt, & consumunt sua nimirum caliditate, & siccitate, etenim qualitates eorũ sunt veluti ignis purgans, & exiccans humidam, & putridam substantiam, & euaporationem aeris pestilẽtialis. Quare si possunt aeris extrinseci malignitatem tollere, multo magis eorum tegmentorum, & funium poterunt corrigere malitiã si infecta sint. Aromata ergo & similia cum non inficiantur nullam vẽtilationem, aut expurgationem, vel correctionem alterius rei, vel etiam aeris, desiderant, neq; eorum sacci, & funes. Sunt etiam præter dictas merces, & aromata multę aliæ merces medicinales, quę minime à qualitate pestifera inficiũtur, vt est casia, tamarindi, sebestẽ, rhabarbarum, aloes, sammonium, mastix, & resinæ omnes ut terebinthum, pices, euphorbium, spicca, sena, colocynthis, turbith, gẽtiana, tormentilla, & multa alia huius generis medicamẽta, quę tametsi nõ inficiantur à pestilenti aere, eorũ tamen sacci, tegmenta, & funes infici possunt, & ideo indigent rectificatione, & lauatione. Sũt præterea aliæ merces, quæ non suscipiũt ab aere putri pestilẽti alteratione͂, vt est alume͂, nitrum & omnia genera salis; eorum tamen sacci expurgatione indigent, quoniam infici posunt. Sunt etiam res aliæ, quibus homines uescũtur, ut sunt passulę omnes, & ficus sicci, & alii fructus, sed omnia si prosequi scribendo uellem, nimis longa esset oratio: satis igitur sit eos dominos admonuisse, qui pręsunt sanitatis custodię; ut si naues onerarię mercibus dictis oneratę accesserint, exonerẽtur & secundum diuersitatem mercium euententur, & expurgentur,

atq; sine aliqua suspicione dictæ species, & res medicinales sumantur, tractentur & venundentur, & ad vnum, uel alium locum adportentur una cum saccis & funibus sine aliquo discrimine. Prędictæ uero cymbæ, ac ministri quotidie ad uisendum nautas & mercatores accedant, sciscitenturq; & videant nunquid aliquis ęger fuerit, sit, vel rursum ęgrotet. Et hoc facile sciri poterit si prima die numerum hominum visu & particulariter numerãdo sciuerit, interim necessaria sibi, vt dixi, pro uictu emantur, sic enim christiani viri facere debent, vt Deo in primis laudes semper dicãt. Ciuitas vero talibus temporibus aliquid pro aduenis etiam expendere debet, quoniam pium est subuenire hominibus in necessitatibus. Et quoniam dictũ est supra, aerem putrescentem acquirere qualitatem pestiferam, quę postea potest etiam ad longinquam partem deferri & alia loca inficere, ideo cum in locis uicinis iam apparet aeris mala qualitas pestifera, quæ cognoscitur, quia vt dictum est, multitudo hominum corripitur febre perniciosa, ab eaq; statim populatur, ne huiuscemodi qualitas cõmunicetur suę ciuitati, Prouisores & Domini salutis prędicti procurent præparare aerem ne suscipiat pestiferam qualitatem exiccando ciuitatis, locorumq; finitimorum aerem. Quod fit cũ igne per omnes ciuitatis angulos, vias, & partes. Qui sit ex lignis optimis ac odoriferis, vt est iuniperus, cupressus, laurus, pinus, abies, larex, & cætera ligna habentia resinam, & bene redolentia, eaq; ardeant die noctuq;, & quanto maiores frequentioresq; fuerint tanto magis reddent aerem depuratum & resistentem malæ qualitati pestiferæ. Hoc idem in priuatis domibus faciundum est, iussu dominorum cum lignis odoriferis, ut supra dictum fuit, quę si non sunt odorifera, ponatur saltẽ aliquid in igne bene redolens vt est ladanum, storax, thymiama, belzui, & similia. Prohibeantur comburi ligna fœtida non solũ publice sed priuatim, vt sunt ficus, buxi, nuces, & similia ac cætera, quæ dum comburuntur male olent. Etenim ignis malum aerem corruptum rectificat, & bonum præseruat a corruptione. Et vt ex omni parte tollantur causæ præparantes ad suscipiendũ malam qualitatem pestiferam in aere Ciuitas ab omni sorditie & immundicie purgetur. Sicq; latrinas, cloacas, & sterquilinia omnia mundentur & non solum in ciuitate, sed etiam in locis uicinis extra ciuitatem, prohibeantur etiã mollitiones lini, siue can nabis, & aliarum rerum aquas corrumpentium, & a quibus eleuan tur uapores aerem inficiẽtes, neque ꝑmittãt aquas inundantes claud i ita, ut nõ possint currere, & ibi quiescentes remaneant, quia putresc u nt, & aerem inficiunt. Prohibeant etiam dicti prouisores uenunda ri res comestibiles, malas, fœtidas, ut sunt car

nes animalium habentium ægritudinem aliquam, quemadmodum ouium, & pisces degentes in paludibus. Prohibeant etiam vendi triticum malum antiquum, & fœtidum, aliaque huius gẽeris multa præcipue id quod permistum habet infęlix lolium. Similiter & olera mala & fœtida prohibeantur, quoniam cibi mali & putredini parati præparant corpora ad suscipiendam pestiferã qualitatem. Quæ uero dicta sunt de rebus comestibilibus intelligantur etiam de illis quæ bibuntur. Cauere etiam oportet ea de causa ne malas aquas aut bibamus, aut in eis res comestibiles coquamus, & à quauis alia cõmixtione. Vina etiã mala & corrupta vendi prohibeantur. Quæ omnia per ministros obseruari curent. Et quia dictum est sæpe ex apertione alicuius putei diu occlusi, vel alterius foueæ, excitari pestilentiam, ideo, si forte a tali casu febris pestilentialis initium habuerit, procurent quam citissime dictos puteos vel foueas iterum recludi. Similiter si febris hæc ex corruptione insepultorum corporum, vel quomodocunque putrescentium fuerit, iubeant corpora illa sepeliri aut comburi, eodem modo faciendum de rebus putridis est, eas comburendo. Aquæ uero si malæ sunt fœtidæ, & quietæ, omni ingenio alio, in locum longinquum deducantur. quod si hoc minime fieri potest, quoniam ibi sunt fossæ, aut quædam palus, impleãtur terra. Et ad summum omnes causæ, quæ possunt excitare pestiferam qualitatem, corrigendæ sunt, vel ex toto amouendę, si fieri potest: prohibendo ne quid putridum in ciuitatem proiiciatur per cloacas. Mundentur latrinæ. Et vnaquęque interdicatur ex putridis artibus ut est ars coriaria, & quę zinaprium siue minium conficit, vel sublimatum, & quæ ex sulfure vel arsenico & aliis fœtidis aliquid parat. Abiiciantur etiam a ciuitate porci, vaccę, anseres & alia animalia putridum aerem reddentia, neque solum a ciuitate sed a locis conuicinis, sicque aer custodiri potest a futura contagione. Quod si febris in ciuitate populari iam cœperit his superius præmissis & obseruatis, Prouisores dicti procurent habere duo hospitalia siue loca distincta, ita ut cõtagium unius hospitalis minime ad aliud traduci possit, quę hospitalia si non sunt, procurent ut ex bonis publicis fabricẽtur ad cõmune omniũ beneficium & pręsertim pauperum. Loca vero in quibus dicta hospitalia fabricari debent, sint loca si fieri potest, boni aeris nõ paludosa, neq; aquis malis aut mortuis propinqua, neq; exposita vaporibus malis, ab aliis uicinis locis excitati, sintq; mũda ab omni genere immundiciarum, æstate sæpe in die aceto permixto aquę dulci aspersa, hyeme accẽdãtur ignes hinc inde, & frequentes ex lignis bonis, ut sunt iuniperi, cupressus, laurus, & alia ligna supius dicta. Sint

munita necessariis tam pro uictu quàm pro ægritudinibus curandis, & habeant ministros probos, animosos, misericordesque ac in omnibus necessariis libenter ægris seruientes. In quibus etiam hospitalibus, sint medici rationales physici dicti, & chirurgici, ut dicũt moderni distinguentes medicos in physicos & chirurgicos sine necessitate, & male, quoniam medici munus est conseruare sanitatem, & remouere ægritudinẽ, siue hoc perficiat instrumento, siue potionibus, siue regimine rerum necessariarum, & aliorum. Neque medicus dici potest qui omnia ista ignorat aut partem, Sed decipiuntur sic diuidẽtes, non enim medicina diuisa est sed instrumenta medicinæ ut doctę dixit Auicenna fen quarta primi dicens, res medicationis compleri aliquo trium rerum scilicet regimine aut medicaminibus, uel manus artificio. Sed si tibi hoc clarius dici uelis, habeant ministros, qui nostro tempore sunt barbitõsores, et aromatarii, uel alios, qui manibus operentur, si medici ipsi ita inexperti sint, ut etiam manuum ignorẽt operationem, ut contingit tẽpore nostro, in quo paucissimi sunt, qui nouerint operari manibus, & ęgritudinibns exterioribus opitulari. Sed de hoc satis. Medici igitur ad hæc docti & experti sint & habeãt ministros, qui summa cum diligentia & charitate omnia exequãtur. Et quoniam hæc febris ut plurimum interficit, sint etiã in dictis hospitalibus clerici præsbyteri probi & misericordes, qui animæ necessaria perficiant, in eaq; hospitalia pauperes uel alii infecti mittantur. Quod si ex vna domo plures sint mittendi, quorũ aliqui sint ęgri, aliqui uero minime, cũ superius dixerim duo hospitalia uel loca separata oportere præparata esse, ideo ad unum hospitaliũ mittantur ægri, & ad alterum qui sani sunt, & tamen cum infectis congressi, quoniã suspicio est ne sint infecti. sicq; alterum hospitalium sit pro ægris paratum, alterum pro sanis, quos esse infectos suspicantur, mutuas præterea habeant mutationes, ita ut ægri postquam conualuerint ad sanorum hospitale mittantur, similiter si aliquis ex sanorum hospitali ægrotauerit ad infirmorum mittatur hospitale, iiq; omnes tam ægri, quam sani regimine a medico rationali (ut insequentibus dicam) imposito regantur, & hoc donec ægri sanitati restituantur & sanis contagionis suspitio tollatur. Quod fit ut plurimum quadraginta dierum spacio, & est tempus, ad quod ægritudines diuturnæ veniunt, quamuis antea acutæ. Et ut tota tollatur suspitio de noua infectione per pannorum contactum. Domini prouisores procurent per ministros, ut res omnes dictorum infectorum, vt sunt panni linei & alia supellectilia domuum infectarum & domus ipsæ mundentur diligenter, ita ut lectuli, & coopertoria linteamina & alia omnia tam ve

stimenta, quàm domus ornamenta lauatione, aliisq; purgationibus munda ac nitida reddantur. Sed præter ea, quæ dicta sunt, aerem rectificare operæprecium est, secundum diuersa accidentia cognita, tũ ratione anni, temporis, tum febrium maioris & minoris acuitatis, verbi gratia si æstas erit, febres continuæ causonides dictæ hominũ multitudinem corripiant, vel sint continuæ proportionales ex cholera, vel cum admistione sanguinis. Aspergatur locus aqua aceto mista, in qua ebullierint rosæ, violæ, nenufari, latini nympheã vocant, & aliæ herbæ frigidæ bene redolentes. Quod si febres ex crassioris materiæ putredine esse patebit, vt ex admistione multæ pituitę, vel alterius humoris frigidi, cũ iam dictis rosis bulliant etiam mentam, ocymum, rosmarinum, aliasq; huiusmodi herbas bene redolentes, & calidas, vt ex istis in hominẽ inspiratus aer recreet spiritus, & resistat qualitati venenosæ ac caliditati. Ego uero plures decoctiones scribã, vbi de regimine particularis domus loquar, quæ etiam hospitalibus accõmodari poterunt. Et ut summatim dicam, ex omni parte omnia sint nitida tam linteamina, quam reliqua, vt pauperibus quoad fieri potest in tam sæua ægritudine diligenter inseruiatur. Quãtopere.n. apud Christianos huiusmodi languentiũ diligentia laudetur, vbiq; in sacris literis docente Iesu Christo domino nostro legitur, præsertim in Euangelio, de Samaritano vulnerato. Et ipsemet Dominus infirmos sanauit, immo præcepit discipulis, vt per vniuersum prędicantes, curarent ægros, quare rogare non desistam fratres medicos, ut infirmis omnibus libenter inseruiant, & quanto pauperiores sunt tãto libentius facere conuenit, Christo docente. Dixit ipse pauperes semper habebitis vobiscũ, & in nouissimo die dicet, venite benedicti patris mei possidete regnũ Dei paratũ vobis ab Angelis, etenim infirmus erã, & visitastis me, & reliqua. & paulo post, Quodcunque feceritis vni ex minimis istis mihi feceritis. Et quoniam sunt quamplurimæ ciuitates pauperes, non habentes hospitalia ad hoc deputata, hæ vero ciuitates tempore necessitatis, aut eligant domos campestres si sunt, in aere vel loco salubri, aut habitationes alias ex lignis & paleis cõficiant, atq; vt supradictum est necessariis rebus instruantur .s. lectulis & victui necessariis, atq; ministris. Sed ut superius diximus duæ sint domus, vel loci sint duo in quorũ vno ægri hospitentur, in altero vero sani, qui cũ infectis fuerũt, necq; sunt à futura ægritudine pestilentiali satis tuti, istis vero interdicatur alterum hospitale, ne cũ aliis negociando inficiãtur, & hæc interdictio solet fieri per quadragintadies, vt supradictum est, obseruentur tamen aspectus luminariũ, Solis uidelicet et Lunę, quoniã in illis qui parati sunt, apparẽt in

talibus coniunctionibus manifestæ alterationes magis, quam aliis tẽporibus vt puta in plenilunio, & nouilunio, ac quadratis & aliis aspectibus. Prohibeantur in dictis hospitalibus comestiones malarũ rerum vt sunt olera & fructus mali, ac aliæ res generantes & multiplicantes putridos humores, vt est lac. Itidem potus mali prohibi debent, quod si aquæ non sint sine suspicione, vel ratione loci, in quo morantur, vel quomodocunq;, coquantur cum rebus exiccantibus & aliis corrigentibus eorum malitiam, vt de omnibus dicam abũde, vbi de regimine ægrotantiũ scribam. Sintq; illi qui interdicti sunt, parci, & abstinentes, neque repleantur, quoniam (vt dixit Galenus) abstinentia cibi totum corpus æqualiter purgat & exiccat. Et cũ exiccatio ex omnium sententia a febre pestifera primo præseruet, ideo si quis præseruari a peste desiderat, caueat a multitudine ciborum & præsertim humidorum. Et hæc de regimine ciuitatis & hospitaliũ in genere satis dicta sint.

Docet præseruare domus per aeris regulationem & alia quædam pulcherrima. Caput. 2

DOmus vero regatur si suspicio sit ne inficiatur. Primum alterando aerem pro vt expedire uidebitur per ea, quæ ex signis populantis ægritudinis apparent, quod fit primo ipsam domũ mundificando a quocunq; genere sorditiei, ita, vt nullus malus odor, aut mala euaporatio, in ipsa, vel circum ipsam sit, vt sunt latrinarum, aut cloacarum euaporationes, & non solum a tota domo remouendæ sunt fœtidę exhalationes, verum etiam a quocunque particulari loco, & cubili, quare qui consueuerunt habere in cubiculo vasa, in quibus excrementa ventris deponuntur, ea minimè continuè in thalamo teneant, quoniam thalamum implent malo odore, qui in aere receptus causa efficitur præparans ad deteriorem alterationem, similiter & omnes aliæ res putridæ, expedit vt abiiciantur, & suauibus ac redolentibus statim camera repleantur. Et quoniam etiam aer clarus & diu in aliquo loco detentus malus est, ideo ad eius expirationem aliquando aperiantur fenestræ. Et tamen animaduertendum est, ne forte si suspicentur malum aerem deferri a ventis vel aliter, ex aliquo loco infecto, fenestras respicientes huiusmodi locum vllo modo aperiamus, sin autẽ nihil erit huiusmodi quod timeamus ęqualiter aerẽ temperare conueniet. Sed cum venti septentrionales & boreales, sicciores sint, salubriores quoque esse credimus nisi per loca paludosa & humida ad nos transeant, sic enim aliquando noxii sunt, sed hac in re nõ potest dari certa regula, nisi rationalis intellectus sit, præsens, & de admistis vaporibus a ventis delatis iudicet, secundum rectum

iudicium. Enimuero aer mutatur à multis, ita vt recipiat diuersas alterationes: quare pro vt exiget diuersitas alterationis corrigi debet. Alterationes præterea sæpe occultæ sunt, per ea, quę exterius de causis haberi possunt, attamen quia effectus causam demonstrat, ea ratione poteris causam inuestigare. Et ideo si accidentia febrē consequentia fuerint, ex illis quæ nimiam caliditatem ostendunt, aerem procul dubio infrigerantibus alterare conuenit. Quod si frigiditatem demonstrent, quod raro fit, necesse erit illum calefacere, similiter si humiditatem monstrent, ipsum omni ingenio exiccare necessarium est, moderate tamen, eodem modo si aer nimia siccitate nocuus efficiatur, moderate humectari debet, atque non ita modum excedat, vt eum putredini paratum reddat, sed acumen corrigat à nimia siccitate prouenięs, quoniam semper nimia humiditas mala est, cum sit putredinis mater. Et ea de re in omnibus medio quodammodo procedatur, sed humiditatem exiccare optimum semper est, quoniam in eius intensione fit etiam malignitatis pestiferę augmentum. Locus vero siue mansio salubris est, quæ alta, ac vētis patula est, præsertim si infectio aeris cum vaporibus à terræ visceribus fuerit. Sed quoniā non semper ex huiusmodi exteriori alteratione aer domi rectificari potest, cum iam totus ambięs aer exterius sit corruptus, ideo domus atq; cubicula præparentur vt dixi ex sententia tum Hippocratis, tū etiam Galeni cum igne, qui semper aerem pestiferum à quacunque causa alteratum corrigit, sed non eodem modo, quoniam corrigit acquisitā putredinem, quæ non sine humiditate fit, & ideo ēt in æstate mane exiguus ignis ex lignis odoriferis dictis domi & in cubiculo accendatur, quod vero dictum est de æstate idem & de vltima parte veris & principio autumni ēt, si calidus aer fuerit, intelligendum est, in hyeme vero maiores & frequentiores ignes accendantur, non solū mane sed ēt per totam diem atq; noctem: ligna tamen, quæ cōburuntur, sint odorifera, sin minus, proiiciatur quidpiam bene redolēs in ignem, vt si sunt diuites, portionem ligni aloes, sandali, & hmōdi, si sint vero pauperes vrant rosmarinū, laurū, cedrū. Præterea domus ac cubilia aspergātur in ęstate aqua aceto admista sępe in die, etenim corrigit malū aerem, & bonū à putredine præseruat, quibus si pars aquæ rosaceę accesserit, optimum erit. Et hoc fiat secundum temporis qualitates, nam in hyeme posset quis præter acetum & aquam, maluatici vini ac odoriferi portionem addere ac domum aspergere, atque ita iuxta temporum & aeris mutationem, mutare alterantia. Scilicet addendo ac bulliendo diuersa, vt sunt cortices fructus citri & arboris frondes, vel medici pomi cortices, quod aran-

tiam vocant, aut limonis, ut sut etiam herbæ & flores bene redolentes, ut rosæ, violæ, myrtus, ocymum & similia, pro ut exiget tempus, ac pro uniuscuiusque facultate. Et ut omnia præsto tibi sint, ita ut nihil amplius desideres, describam diuersa aerem rectificantia, Primumq; sit descriptio decoctionis temperatæ, rectificantis aerem, & exiccantis exiccatione temperata, iuuantis fere in quacunque dispositione aeris ac anni tempore, & est odorifera, diuitibus, & pauperibus accommodata, quoniam ea, quę ad hanc mistionem pertinent, unicuiq; sunt obuia, quę etiam in hortulis reperiuntur, & est ista: Recipe florum rosarum manipulos.iiii. violarum, nenufaris (nympheā vocant) foliorum myrti, lauri, ocymi, rosmarini, baccarum lauri, iuniperi, corticum citrii, limonū, aranciarū anna manipulū.i. pomorū apianorum, odoriferorum frustatim incisorum numero.x. bulliant omnia in aqua fontis, siue putei cum aceti portiuncula, atq; decoctione, domus aspergatur quoniam aerē malum rectificat, & præseruat bonum a mala infectione, estq; odoris gratissimi, idq; sæpe in die fiat, nā domus optimo odore replebitur. Esto tamē memor, q aspersio facta cum aceto aqua commisto, ac etiam rosacea, mirum in modum aerem corrigit quocunq; tempore, attamen si in hyeme portionem uini odoriferi addes, cū aliqua de causa id faciundū cognoueris melius erit, sed quoniam diuersa auxilia sæpe prosunt, ideo poteris & ista decoctione, quę facilis est, uti. Recipe rosarum rubrarū librā.i. foliorum myrti & seminū ipsius ana librā.s. sandalorum omnium, ana.ʒ.i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ, in qua sit acetum in sextæ partis portione, iisq; domum & cubile asperge. Alia odorifera decoctio magis exiccatiua cum quadam caliditate temperata tamen. Recipe rosarum violarū, nenufaris, ana manipulos.ii. seminū coriandri, anisi, ana manipulū.i. cinamomi, macis ana.ʒ.iii. grana paradisi. ʒ.iii. buliant omnia in aqua fontana, cum qua vt dictum est, domus aspergatur, quoniam aerem rectificat. Potes etiam paucioribus simplicibus decoctionem hanc facere hoc modo. Recipe rosarum, granorum myrti, iuniperi, ana. partes equales, bulliant in aqua rosacea, & vtere ipsa decoctione. Sunt & alię decoctiones quibus diuites in suis luxuriis vtuntur, quas, ut omnia rectificantia aerem habeas etiam si principibus his opus fuerit, scribam. Recipe rosarum rubearum.ʒ.ii. sandalorum rub.ʒ.i. macis, gariofilorum, cinamomi ana.ʒ.s. corticū citri.ʒ.i.s. poma apiana in frusta incisa & odorifera numero.v. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ rosaceæ, & florū citri, aut aranciarum, cum qua decoctione cubile aspergatur, lauet etiam faciem, & manus, uel ponatur in olla ad ignem paruum, & permitte

ut leuiter euaporet ita vt vapores eleuati repleant cubile odore optimo & fragranti, eoq; membra principalia scilicet cor & cerebrum recreabit. Nota tamen huiusmodi suffumigationem per leuem euaporationem posse fieri ad ignem etiã cum aliis superius dictis decoctionibus. Quod si aer calidissimus fuerit, ita, vt præter intentionem malignitatis pestiferæ velis extinguere aeris caliditatem hoc modo facies, si sæpe domum & thalamum insperges, ex admistione aquę rosaceæ & violaceæ vna cum portiuncula aceti optimi, poteris etiam hac supradicta mixtura manus & faciem irrorare ac odorari. Et pro pauperibus; Accipe rosarum manipulos. iiii. uiolarum manipulos. ii. nenufaris manipulum. i. poma apiana, limones vel citria, & arrãcias in frusta incisas ana. numero. iiii. seminum coriandri. ℥. iii. bulliãt in aqua fontana & pauco aceto, eaq; decoctione aspergatur domus, vel posita ad ignem lentum fiat euaporatio vt supradictum est. Possunt aliæ quamplurimæ decoctiones fieri pro pauperibus & etiam pro diuitibus, eiusdem tamen intentionis. Verbigratia cum, vt sæpe dictum est, rosis, uiolis, sandalis, corticibus citrii, limonum, aranciarum, cytoniorum, canforæ, in aquis rosarum, florum citrii, & aliis bene redolentibus non multę caliditatis. Mutando res ingredientes secundũ temporis & aeris malitiam, in maiori caliditate, humiditate, & crassitie, tempore hyemali addendo res aliquas calidiores, vt est lignum aloes, pro diuitibus, storax calamita, belzui, quod belzui mea quidẽ sententia potius myrrham dixerim, quam illam, qua utimur, cum sit in omnibus tam in substantia quam accidentibus magis conueniens descriptioni mirrhæ; cinamomum, macis, nux muscata, quæ possunt decoqui aliquando in aquis rosarum & florum citrii & aliquando florum myrti pro vt operæpretium erit addendo ac minuendo, & mutando. Et pro pauperibus bulliant in aquis & aceto rosæ, & alii flores domestici frigidi, & hyeme addantur folia rosmarini, aut myrti vel lauri siue ocymi, maioranæ, grana iuniperi & grana paradisi et alia optima minoris pręcii pro ut quisque arbitrabitur aerem melius rectificari. Et quoniam vnguentarii multa odoramenta ad lasciuias diuitum conficiunt, cum illis possumus etiam aerem alterare, & manus & faciem lauare, inter quæ laudatissima est compositio, quam aquam angelorum vocant, propter aquam florum citrii ingredientẽ, vulgares nanque flores citrii angelos vocant, ideo vt diuites possint etiã istis temporibus sua uti luxuria describam eam; Recipe belzui, storacis, calamitæ ana. ℥. i. s. aquę rosarum libras vi. aquæ florum citrii, quam nansam vocant. libras. iiii. bulliant per horam lẽto igne, & vsui serua, etenim ista potest lauare manus faciem, & sudarium.

Potes tamen tam in dicta decoctione quam in aliis addere portionē musci aut ambræ, puta ʒ.s. aut scrupulum vnum, plus minusue pro vt temporis & aliarum rerum opportunitas expetet, caue tamen ne nimium calefacias aerem, cum aer calidus magis præparet corpora ad febres, nam febris calor est, quæ vero dicta sunt gratia exempli a rationali medico corrigantur. Nam ratione febris resistit infrigidatio, sed malignitati pestiferæ contrarium & exiccatio, & cordis recreatio, & aliorum membrorum principalium, cum rebus temperatis bene redolentibus aerem alterando, præsertim cum contrariis accommodatis qualitati pestifera. Hoc enim potest fieri etiam aliis præterea, quæ dicta sunt eiusdem tamen virtutis, quæ apud diuites sunt in quotidiano vsu, vt sunt suffumigia multa. Neq; mirari oportet si in aeris correctione oratio longior protrahatur cū ex ipsa præuisione futura mala tollantur: dicebat nanque Galenus in libello de Theriaca ad Pisonē, Hippocratem laudibus extollēdo, qui Græcos a pestilētia ex Aethiopia deriuata sola aeris alteratione liberauit, si aer malus est rectificetur, qui tanquam venenum est hominibus, & ad aliam qualitatem mutetur, non enim tunc potest amplius corpus inficere etiam si per os attactus sit, cum iam sit mutatus ab ea qualitate pestifera. Quare addam & alia aerem rectificātia diuersa a supradictis in forma sed eadem in qualitatibus, quæ laudauere antiqui medici. Et primū: Accipe trociscos galliæ a diuo Mesue descriptos distinctione octaua in suo antidotario, quos pone super prunas ignitas & maxime tempore hyemis, sunt enim pretiosi, ac pro diuitibus, reficiunt cor, & cerebrum, sunt etiam optimi & eiusdem intentionis trocisci muscati Mesue in suo antidotari o loco allegato. Quod si tā illorum, quàm istorum, caliditatem timueris dissolue ipsos in aquis odoriferis frigidis vt est aqua rosacea, aut violarū, et nenufaris, quod nymphea vocant, poneq; in olla ad ignem lentū, non vt bulliat, sed vt a caliditate vapores excitentur, sicq; aerē domi odoriferū, ac tēperatum reddat, quam euaporationem potes etiam cū supradictis trociscis facere, eos in iam dictis aquis, aliis vt dissoluēdo, & supra ignē permittere ut euaporent, regulando pro vt tempus & aliarū rerū expetet ratio, ut puta quando maiorem refrigerationem fieri velis minus ex trociscis & copiosiorem aquarum quantitatem pones. Potest etiam aer rectificari cum trociscis galliæ sabellinæ ab eodē Mesuę descriptis, & sunt minus calidi, ad idē faciunt trocisci de ciperis Mesuę qui sua siccitate ac odore gratissimo aerem pestilentialē mirifice corrigunt. Sunt etiam trocisci de ligno aloes ab eodem Mesue descripti qui mirū in modum cordi suo odore opitulantur, isti omnes sup ar

denter carbones ponere poteris vel in olla cum aquis iam dictis vt euaporando aerem corrigant. Quod si suffitum minus calidum desideras, vtere trociscis diarodon in antidotario Nicolai descriptis, etenim multa, quæ compositionem ingrediuntur frigida & sicca sunt, sunt etiam quamplurima alia aerem rectificantia tam preciosa, quæ pro diuitibus sunt, quam vilia & vbique nascentia pro pauperibus, ex quibus & si non omnia quædam tamen scribere decreui, vt ea præ manibus habeas, & primo suffumigium leue, quo vulgares & vnguentarii oseletos vocant. Recipe ladani, storacis, calamitę, belzui, thymiamatis ana. ℥.i. rosarum rubearum sandalorum citrinorum ana. ℥.i.s. canforæ. ʒ.i. pulueris carbonum lignorū salicis, siue salignorū dixeris non refert. ℥.vi. misce & cum aqua rosacea, in qua dissolutum sit dragagantum fiat compositio siue in modum pastilli in mortario, ex qua compositione formentur pastilli in modum candelarum & siccentur in umbra, qui accendantur cum libuerit, vnus vel plures quoniam fumus & vapor illorum odoriferus est, & aerē malum corrigit, cor atque cerebrum, roborat & rectificat, in qua cōpositione potes pro diuitibus portionem musci & ambræ addere et erit magis odorata. Item descriptio alia pastillorum, qui magis calidi sunt, & sicci rectificatium aerem putridum. Recipe ladani, storacis, calamitæ, myrrhæ, masticis, thuris, thymiamatis, sandaracæ ana. ℥.s. grana paradisi, myrti, cubebarum. ana. ʒ.ii. florum rosmarini, rosarū. ana ℥.i. sandalorum citrinorum. ʒ.iii. cinamomi, macis, gariofilorum camphoræ. ana. ʒ.i. pulueris carbonum salignorum. ℥.v. aquæ rosaceæ, in qua dissolutum sit dragagantum quantum satis est & fiat subacta pasta, ex qua conficiantur formulæ in modum candelarum & pro vt feret occasio accendantur, vel fiant isti alii, ut dicunt, oseleti secundum talem descriptionem, qui odoratissimi & pretiosi sunt. Recipe ladani, storacis calamitæ. ana. ℥.s. thymiamatis. ℥.i.s. belzui. ℥.s. ligni aloes. ʒ.ii. canforæ. ʒ.i. pulueris carbonum salignorum. ℥.i.s. fiat ex eis pastilli, siue formulæ in modum candelarum, cum aqua rosacea, in qua sit dissolutum dragagantum exiccenturque in vmbra, & vtere ipsis secundum opportunitatem. Possunt & minus calidi cōponi vt puta. Recipe storacis, calamitæ, belzui, ana. ℥.i.s. myrrhę. ℥.s. ligni aloes, sandalorum citrinorum. ana. ʒ.iiii. canforæ. ʒ.i.s. pulueris carbonum salignorum. ℥.i. aquæ rosaceæ, in qua sit dissoluta gumma draganti, misce, & fiat ad modum candelarum vt supra dixi, & accendantur cum opus fuerit. Multos quidem alios oseletos diuersos ab istis scriberem, quos pretereo, quoniam eiusdē virtutis sunt secundum magis & minus differentes solū, & hoc per additionē aliquarū

rerum vt est cynamomum, macis, nux muscata, gariofilum, cardamomum, grana paradisi, flores & semina ocymi, machalef, & storax liquida, cum qua potes dictas candelas componere loco aquæ rosaceę, & erunt exiccatiuæ magis, sed gratior est odor aquæ rosaceę. Potest etiam aer corrigi pulueribus super ignitos carbones impositis, vt uerbi gratia: Recipe ladani, belzui, storacis, calamitæ ana. ℥. s. thymiamatis. ʒ. i. nucum cypressi, corticum citri exiccati, rosarum ana. ℥. i. s. musci, ambræ, ligni aloes. ana. ℈. i. canforæ. ʒ. i. s. misce & fiat puluis, quem pone super prunas cum opus fuerit rectificare aerem, vel pone, vt bulliat in olla cum aqua rosacea ad lentum ignem, quoniam suauibus uaporibus cubiculum implebit & aerem optimum reddet, hoc idem facere per insequentem puluerem optimum erit, qui est magis temperatus. Recipe rosarum rubrarum, corticum citri, nucũ cupressi, granorum myrti, iuniperi, canforę, ana. ℥. s. storacis, calamitæ, belzui. ana. ʒ. i. misce & fiat puluis, & pone super carbones ignitos, vel bulliant in aqua rosacea lento igne, ut dictum est. Esto tamen memor Hippocratis documenti quinto Aphorismorum; suffitus ex aromatibus nocere capiti ac dolorem ipsius causare, cuius rei Galenus causam reddidit in commento, quoniam calida sunt, quare qui dolorem capitis ex causis calidis habent, suffitus ex calidis odoramentis fugiant, sed fiant ex rosis, sandalis, canfora & aliis frigidis bene redolentibus, sed quoniam sunt quidam incidentes in dolorem capitis etiam ex frigidis odoramentis, vt tempore rosarum in multis est videre, qui etiam coryzam siue narium oppilationem incurrunt, & dolorem capitis, isti etiam fugiant ea quæ sibi nocua experimento sunt, quoniam proprietas indiuiduales non sunt in communi scientiæ disciplina, sed vtcunque sit, caueant semper a nimia caliditate. Sunt præterea alia facientia ad malignitatem aeris, quæ particularia sunt, atque ex genere deliciarum quotidianæ elegantię, quibus cum manus & faciem lauant capillos & barbam oblinunt, ac ea manibus gestando sæpe olfaciunt, quæ omnia laudatissima sunt, & ideo ea scribere decreui. Primumque descriptio pomi odoriferi quod confert si gestetur & sæpe ad nares admoueatur. Recipe ladani, storacis, calamitæ, belzui, quod myrrham esse non negarẽ ana. ʒ. iii. sandalorum rubrorum citrinorum. ana. ʒ. i. s. corticũ citri; rosarum rubrarum, boli armeni, ana. ʒ. ii. ligni aloes. ʒ. i. musci, ambrę ana. grana. v. canforæ, grana. iii. misce & in puluerem redigantur, fiatque pomum cum aqua rosacea in mortario subigendo, in quam si partem aceti infundas optimum erit, quod quidem pomum ad consueta munia tempore suspicionis aeris pestiferi si manibus portabis,

& præsertim in frequētia hominum, defendit ab aere malo. Alii aliter faciunt attamen virtus est eadem. Accipiunt laudani, storacis, calamitæ, sandalorum alborum, rosarum rubrarum, corticum citrei, cāphoræ, an. drach. s. boli armeni oriētalis, ligni aloes, an. drach. i. musci, ambræ, an. scrop. i. ceræ & olei rosacei recentis & odoriferi simul dissolutorum ac in vnum corpus redactorum, an. drach. iiii. succi rosarum puri, aceti rosacei albi, succi limonum, an. quantum satis erit, ponantur in mortario & cum pistillo contundātur & facta perfecta commixtione fiat pomum, quod tenebis manu, idq; sæpe olfacies, quoniam confert ad aeris correctionem. Possem equidem & multa alia poma describere sed hæc satis sint quoniam vnusquisque poterit alia secundum necessitatem componere addendo & minuendo, verbi gratia, si calidiora desideras, adde gariofilum, macem, nucem muscatam, cinamomum, calamum aromaticum, doronicū, myrrhā, calamentum, gariofilatam, ocymum, terebenthinā, & similia, si vero frigidiora cupis, adde sandalum album, flores violarum, & cāphorā in maiori portione, vtputa. Recipe rosarum violarum nenufaris, an. drach. iii. sandalorum rubrorum, citrinorum alborum, an. drach. ii. cāphoræ. drach. iii. doronici, ben albi, ben rubri, ligni aloes an. drach. s. storacis, calamitę, belzui, an. drach. i. laudani terebēthinę, an. drach. ii. fiat ex eis pomum cum aqua rosacea subigendo cum pistillo in mortario, primum pulueres cum aqua componendo postremo gummas & alia addendo, & est temperatum declinans ad frigiditatem & hac ratione tempore æstatis magis idoneum: Vtere præterea tempore suspecto odoribus aliis, vngendo vel madefaciendo barbam, vel capillos, verbi gratia oleo rosaceo facto ex expressione amigdalarum dulcium & florum rosarum damascenarum, & est illud oleum, quod vnguentarii pro deliciis diuitum parant. Quæ expressio fit etiam addendo alios flores. s. citri, limonum, vel medicorū pomorum, quæ arancias vocant, sicq; exprimunt oleum ex amygdalis vna cum floribus admixtis, huiusmodi olea fiunt ferè cum omnibus floribus bene redolentibus. Confert etiam lauare manus cum aqua odorifera ac sapone odorifero, & muscato. Et modus faciendi saponem muscatū talis est. Recipe saponis in subtilissimas laminas cultro redacti lib. i. seminum machalef. unc. s. storacis, calamitæ. unc. i. myrtillorum, iuniperis, an. unc. s. musci grana. vi. misce & dissoluto musco in aqua rosacea fiat pasta in mortario cū pistillo, ex ea conficiantur pilæ, aut aliæ formulæ & siccentur in vmbra. potest etiam sapo iste sine musco componi, & aliter, vtputa cum baccis lauri, radice yreos, gariofilis puluerizatis puta, an. drach, i. præter ea, quæ dicta

sunt, & etiam sine ipsis, quoniam erit odoratus sapo, sed addere portiũculam olei de spica odoriferi reddit eum gratissimi odoris. Et vt summatim dicam utere omnibus odoramentis temperatis & exiccãtibus. Et pauperes habeant odoramenta præsentanea ex terra nascẽtia, ut sunt flores sæpe dicti, poma etiam & citra, limones, pomaque medica, ac herbas & folia arborum secundum temporum necessitatem, ut est myrtus, iuniperus, cyparissus, laurus, ocymũ, rosmarinus, saluia, lauendula, quæ nardi species est, sed inter cætera laudatissimũ est acetum odoratum tam simplex quam cum aqua rosacea mixtum quoniam præseruat a quacunq; corruptione, & putredine, infrigidat, enim & exiccat. Attamen sua frigiditas non est sine caliditate ex sententia Galeni de simplicibus. Qui uero dormire non possunt caueãt odorare acetum, quoniam odor eius prohibet somnum & vigilare facit. Quod si hoc non timeant poterunt tam pauperes quam diuites semper acetum odorare quocunq; tempore, & etiam extra domũ ad consueta munia id in manu habere, hoc scilicet pacto, habeãt pomum ligneum cauum quod in duas partes aperiri possit, uel argenteum, aut ex alia materia, & perforatum multis foraminibus in quo ponatur spongia madefacta in aceto optimo simplici vel cum aqua rosacea admixto. Et hæc satis dixisse sit. Neque reprehendi volo, si vt superius dixi, longiori oratione hac in parte usus sum, cum iã dixerim maiorem uim præseruationis a febre pestilentiali positam esse in aeris correctione.

De regimine cibi, & potus, præseruante a febre pestilẽtiali. Ca. 5.

IVre post regimen aeris de cibo & potu agendum est, quoniã ex sententia Hippocratis in libello de Flatibus tria sunt corporis humani alimenta, scilicet cibaria, pocula, & spiritus, siue aer, quod testatus est Galenus in libello de Iuuamentis anhelitus dicens cor nõ solum nutriri aere per cannam pulmonis, verum etiam per poros corporis influxo, quare post aeris cõmendationem, qui cordis nutrimẽtum aliquod est, merito de cibo & potu alias corporis partes nutriẽte tractabimus. Etenim quemadmodum sine aeris inspiratione neq; modicũ quidem tempus animal uiuere potest, sic etiam sine cibo, & potu minime diu uiuere poterit. At cũ cibi mali, & secundum qualitatem, & quantitatẽ, ægritudines malas sępissime causent, præsertim pestilentiales, siue malignas & acutas dixeris non refert, quoniã ab intrinseca causa fiũt vt superius dictũ est. Quod cũ ita sit facilius poterit aer pestifer corpus malis nutritũ cibariis inficere. Quã infectionẽ vt omnino auertamus, talis sit in cibo & potu regula qualitatis scilicet & quantitatis. Tẽpore siquidẽ, quo aer pestilentialis homines

ægrotare facit, sobrietas ac cibi & potus abstinentia præ omnibus prodest, & à febre pestifera præseruat. Cibi vero, qui comeduntur, sint facilis digestionis, bonumq́ue succum generãtes, & minime putrescibiles, ita vt sanguinem bonum generent, seruetur q; consuetudinis modus, quantitatis, & temporis, vt si fieri possit non omnino mutẽtur, scilicet in modo coctionis & aliarum præparationum, ii vero cibi nullo modo abundent humiditate, aut superflua aut putrescibili, sed substantifica declinante ad aliquam temperatam siccitatem, quoniam nutrimur humido, quæ cibi qualitates, si ex propria natura tales non ex toto fuerint, rebus cibi alterantibus commisceãtur, vt puta cũ aceto & aliis vt postmodum dicam. Præterea conueniunt cibi tẽperatę caliditatis, frigidi vero minus, quare omnes sint temperati, magis ad siccum, quàm ad frigidum declinantes. Et hoc dictum sit in præseruatione, quoniam secus in febre dicendum esset, cum frigiditas ex aduerso repugnet caliditati febrili, & siccitas malignitati putredinis aeris pestiferi, qui nõ sine humiditate alteratur & in corpus nostrũ agit. Sit itaq; panis in primis ex optimo tritico, nec uetustate, aut alia causa corrupto, aut corruptioni præparato, mundato à quacunq; re mala, vt est loliũ, aliaq; id genus frumento adnascentia, sitq; à furfure mediocriter purgatus, & hoc quoniã, si cum ipsa farina minuti furfures remaneãt, reddũt panẽ sicciorem, ac descensui faciliorẽ, etenim furfur virtutem stimulat expulsiuam sua abstersione: farina præterea omni malo careat odore, & sapore, qui possunt cõtrahi, aut ex loco, vbi locata fuerit, aut ex tempore & vetustate. Sit panis etiã bene fermentatus, ac in clibano optime coctus, & post coctionẽ per diem & noctẽ quiescat, etenim panis nouiter coctus calefacit, inflat, ac ad caput vaporat, neq; sit nimis exiccatus: quoniam minus nutrit ac difficulter digeritur, sic etiam mediocriter salitus, & in hoc diligẽter studendũ est. Carnes etiã sint bonæ, quæ etsi omnes calidæ & humidæ sint, attamen quia inter se comparatæ quædam sunt sicciores ideo ex iuuenilibus quæ sunt tẽperatę siccitatis eligantur, vt sunt inter quadrupedes hœdinę, quę ad siccitatẽ declinãt. Sunt ẽt bonę carnes vituli, & castrati bimi non pinguis. Neq; istarum carnium humiditas quando moderatè comeduntur nocet, quod si times potes corrigere ipsam aliqua ratione, puta assatione vel salsamento, facto, verbi gratia ex herba acetosa, quam lapathium etiam dicunt, adde tamen & parum aceti, siue succi citri, vel limonis, aut aranciarum, cum portione aquæ rosaceæ, & cinamomi. Et illæ meliores sunt carnes, quæ pascuis melioribus vescuntur. Cęteræ carnes vt sunt bubulæ, agninæ, suillæ; ac syluestriũ animaliũ, vt sunt cerui, lepores, & huius

generis, præsertim si sunt annosæ, non sunt laudatæ, quoniam sunt pauci nutrimenti, difficilisque digestionis, si tamen ex ipsis in cibum sumantur, minor sit qantitas earum. Meliores uero carnes, ac laudabiliores omnium, quæ hoc tempore comeduntur, sunt carnes uolatilium, vt sunt pro diuitibus phasiani iuuenes, perdices, coturnices, turtures, turdi, merulæ, & aliæ aues nemorales, quæ uenatione, aut aliquo alio capiuntur ingenio, quoniam optimum generant nutrimētum, & sunt concoctionis facilis, præsertim aues, quæ uolant ut uictum acquirant. Et ista ratione laudantur carnes palumbium syluestrium. Præterea optimi sunt pulli gallinacei, capi iuuenes, gallinæ etiam iuuenes, & quæ currunt hoc cursu scilicet illæ, quæ sunt facilis concoctionis, bonum generantes sanguinem, ac ad quampiam siccitatem declinantes, sintq; coctæ cum aliquibus alterantibus, secundum temporis & aliorum necessitatem, ut puta tempore æstatis, si elixentur, bulliant simul grana vuæ acerbæ, vel folia vel semina herbæ acetosæ, & similia. Quod si assentur, aspergantur aqua rosacea, & succo vuæ acerbæ, aut limonum, aut medici pomi (quod arantiam vocant) aut citri, aut granatorum & similium, cum modico saccari, & cinamomi. Non tamen tempore æstatis aromata calidiora ponenda sunt, ut est zinziber, piper, & similia, quoniam sua caliditate humores accendunt, quare temperatis bene redolentibus uti debemus. Notabis tamen carnes elixatione coctas faciliores esse ad stomachi digestionem, quàm assatæ sint, hę tamen siccius generant nutrimentum, gustuiq; delectabiliores sunt, quare, secundum stomachi fortitudinē & tempus anni, & alia diuersimode præparentur. Cæterę uero aues vt sunt anseres, anates, grues, cygni, mergi, & aliæ in paludibus ac aquis degentes, isto tempore neq; recentes, neque salitę sunt comedēdæ, quoniam malum generāt sanguinem, similiter & omnes aliæ carnes salitæ malæ sunt, & quæ per frixionem coctæ, quoniā humores adurunt, & corpus calefaciunt calefactione mala. Dimittantur præterea extremitates omnes animmalium, ut sunt pedes. & capita, similiter, & intestina, ac splen, hepar, renes, cor, pulmo, & alia, sunt enim mala, durę digestionis, & pauci nutrimenti, et inter cętera dixit mirabilis Auenzoar secundo theisir, capite. xviii. capita columbarum & colla earum facere dolorem capitis, Attamen, laudantur iecinora gallinarum & caponum. Pręterea omnia, quę ex lacte confecta sunt, in tali regimine dimittantur, nam lac recens cito à quacunq; leui alteratione corrumpitur, & generat febrem, similiter lac coagulatū nocet & est difficilis coctionis, similiter caseus durę est digestionis, causatq; intrinsecas obstructiones, butyrum quoq; sua pinguedine et humiditate ma-

tate malum est. Posset tamen mane aliquando bibi cyathus vnus seri lactis, caprini scilicet, vel alterius animalis, bonum lac generantis, a quo omnino butyrum extractum esset, in quo ponatur portiuncula saccari, aut succi vuæ acerbæ, vel citri, aut limonum. Præterea farcimina omnia, tam suilla, quam alterius generis pinguia & salita quæ vulgares salcicias, ac lucanicas vocant, mala sunt. Esto tamen memor dictorũ in primo tractatu, ex sententia mirabilis Auenzoar, scilicet, quod ex corruptione ciborum sæpe fiunt febres pestilentiales, præsertim ex corruptione carnium, quoniam, vt ibi dixi, si carnes comestæ corrumpantur fiunt febres pestiferæ, sine aeris exterioris contagione, & hic per pestiferam, febrem malignam & contagiosam intelligere oportet. Idem & aliæ res malæ faciunt, quare caute agendum in cibariis tempore, quo mali aeris suspitio est. Sunt præterea bona, oua sorbilia, recentia, & gallinacea, vel in iure agitata cum pauco aceto, vel succo vuæ acerbæ, aut succo aranciarum, citri, vel limonis, vel cocta in iure cum carne, aut in aqua, ita ut non sint dura sed tremula, aspersa aqua rosacea, succo vuæ acerbæ, & aliis dictis, addito modico cinnamomi, & saccari, sicq; optimum generant sanguinem, frixa vero vel aliter cocta, & indurata mala sunt. Pisces vero aliqui, qui meliores sunt comedi possunt, præsertim marini, squammosi, in aquis claris degentes, ac comedentes alios pisces, vel quasdam herbas maris super petras nascentes, hos pisces petrosos vocant, vt sunt scorpenæ (siue scorpiones dixeris) non refert, sed ego idem esse dixerim. Auratæ etiam optimæ sunt, & Dentices (quos dentales vulgares nominant) barbi, & triglæ, si diuersi specie sunt, lupi siue spigolę (quos vulgares variolos vocant) menæ siue menulæ, pagri siue fragri, (quos albores appellant,) Sardæ & cæteri pisces, qui optimi sunt laudantur. Præterea inter pisces in lacubus, & fluminibus nascentes quidam comedi possunt vt sunt lucii, qui cum sint noti & ferè vbique in fluminibus reperiantur, sunt etiam laudatissimi pisces troctæ, & ipsi nostro tempore notissimi pisces, si non sunt idem cum carpionibus, qui recentes comedi possunt, sed saliti & frixi nocent, quoniam sanguinem inflammant, præterea alii consimiles degentes in aquis claris, ac alios pisces comedentes, comedi possunt, tamen cum sint humidi salubriores erunt si assentur cum modico salis & aceti conditi, elixentur etiã (si ita coquere libuerit) cum vino & modico aceti, cinnamo, & similibus, vt eius tollatur humiditas putrescibilis, nam inter cætera cibaria, quæ facile putrescunt, sunt pisces, & ideo in eorum præparatione semper ea, quæ a putredine seruant, adhibenda sunt, vt

est acetum, sed consilium meum est, eis, quàm fieri potest, rarissime vti, & maxime si times eorum putredinem, ex quibus sic praeparatis, vaporis mali sæpe excitari solent, quapropter post eorum coctionem minime cooperiendi sunt, sed permittere omnes vapores exhalare, nam si cooperti vapores circum ipsos remaneant, reddunt eorum substantiam ad putredinem paratiorem. Suntq; alii quamplurimi, tam marini quam fluuiales pisces. Sed vt dixi vtilius est eis non vesci, præsertim quibusdam malis, vt sunt anguillę, cephali, sepiæ, tinchæ, & cæteri omnes in paludibus & malis aquis degentes. Similiter & crustacei sunt dimittendi vt conchylia, & gāmari, & similia, potest tamen aliquando stomachi gratia modicum quid saliti comedi, vt puta ouatarica, (quam vulgares botargam vocant) vel cauiarum, sed non sit multæ quantitatis, sitque succo aranciæ madefactum præsertim tempore ęstiuo. Possunt etiam tam cum piscibus, quàm cum carnibus & ouis comedi salsamenta aliqua propter sapores vtiles, ac resistentes malignitati pestiferæ secundum diuersitatem temporum, quare in hyeme optimi sunt sapores, ex petroselino, menta, saluia, & amygdalis dissolutis cum aceto, addito cinnamomo & mace, cum quo carnes comedātur, sed cum piscibus addendum erit zinziber, & caryophylli. Sunt præterea optimi sapores in æstate ex petroselino, acetosa, amygdalis & pane biscocto cum aceto aut succo vuæ immaturæ, vel citri, & ex allis, in quo etiam tempore sunt optimi sapores ex cytoniis siue cotoniis dixeris non refert, vel ex cerasis acetosis, quas uulgo amarascas & amarenas vocant, fiunt etiam alii sapores, qui optimi sunt ex hepatibus gallinarum & amygdalis, saccaro, aqua rosacea, cinnamomo cum aliquo succo acetoso puta citriorum. ex huiusmodi hepatibus fiunt alia edulia grata, quæ comedi possunt. Reliqui vero ut sunt facti ex sinape aut ex sapa, siue vino decocto, uel cum multis aromatibus calidis, quoniam calefaciunt & sanguinem acuunt, non placent, sed in prima mēsa possumus comedere salatucium, gratia appetitus, compositum ex herbis bonis, verbigratia ex acetosa, quam lapathium dicūnt, ex cicoreo, endiuia, lactuca, portulaca, buglossa, boragine, menta, lupulo, calendula, asparago & ex reliquis huius generis, & inter cætera cappares laudatissimi sunt in hyeme, hæc omnia præparentur aceto, vel succo vuæ immaturæ, aut aranciarum, cum saccaro, & si opus fuerit cum parte etiam cinnamomi. Dimittantur herbæ malæ vt est eruca, nasturtium, & huius generis malos & putridos humores generantes. Et quoniam olera huiusmodi excitandi appetitus gratia comeduntur, ideo & in prima

mensa modice eis vescendum erit, cum herbæ omnes facillime corrumpantur & parum etiam nutriant. Dimmittanturq; aromata nimis calida vt est piper & zinziber, quia sua caliditate sanguinem inflāmant, vtantur aliquando cinnamomo mace & siimilibus, quoniā resistunt putrefactioni, digestionemq; adiuuant, neque nimis calida sunt, itidem & aliis consimilibus vti possunt, sed meliora sunt, quę cum rebus acetosis comista sunt, vt puta limonibus, aut citro, vel granatis, sed laudauit Auicenna præter alia acetum, quoniam exiccat & a putredine præseruat gustuiq; gratissimum est. Eius vero usus sit moderatus, secundum stomachi fortitudinem, complexionem, & anni tempus, ac alia. Fercula præterea laudata in præseruatione a febre pestilentiali sunt, quæ fiunt ex ouis contusis in iure carnium, cum aliqua portione aceti, vel succi sæpe dicti, vuæ acerbæ, vel limonum, & aliarum huius generis, fiat etiam cum pane in iure infuso, vel sit panatella, bulliantq; in iis diuersæ res secundū temporis opportunitatem, in æstate grana vuæ immaturę, aut grana crespinæ, fiat etiam ferculum ex farre, vel ex amygdalis, ex panico, & lenticulis, cum aceto, cætera vero legumina non sunt bona, tum quoniam viscosum, & ventosum generant nutrimentum, tum etiam quoniam parum nutriunt, & calefaciunt pro maiori parte, sicuti cicer, & tametsi dictum sit de lenticulis cum aceto pręparatis, quę prius duplici decoctione & in aceto bullierint, attamen non ex omni parte laudantur, vt ex processu Galeni habetur primo de Facultatibus alimentorum, & in libello de Cibis boni, & mali succi, etenim generant humores melancholicos, sed quoniam & acuunt sanguinem, & penetrare faciunt, ista ratione ante apparitionem, variolarum morbillorum, & pestichiarum, earum decoctio cum ficubus conceditur. Pręterea ciceres non placent ex causa iam dicta, quod si tamen concedantur bulliant simul cum eis acetosa, endiuia, & similia. Sunt pręterea in ęstate & alia fercula bona, vt puta ex cucurbitis cum paululo croci uel cinnamomi, vel fiant ex buglossa, boragine, & aliis herbis superius dictis. Caules vero, & cętera fere olera quoniam generant malos humores et putrescibiles, sunt mala, dicant autem antiqui de usu suę brassicę quicquid uelint, similiter fercula ex cucumeribus, & citrulis dimittenda sunt, cum sint humida nimis; Pastilli uero, qui ex diuersis fiunt rebus, ut sunt, qui ex radicibus petroselini, bleta, ouis, caseo, & carnibus fiunt non laudantur. Similiter & pulmentorum compositiones, quas tortas vocant, in quibus & caseum & butyrum cum ouis ingrediuntur, non laudantur, sunt enim mali chymi, attamen aliquando aliquę

comedi possunt, vt sunt factæ ex amygdalis & zuccaro siue saccaro, cum aqua rosata in furnulo decoctæ, vocant marzapanum. Sunt boni etiam canisiones, qui fiunt ex amygdalis zuccaro & aqua rosacea subactis in mortario ac inuolutis in pasta ex farina, zuccaro & aqua rosacea facta, ac subtiliter extensa, quę in modum pastillorum oblongorum redigantur, in furnuloq; coquantur, vel aliquando fiant, vt vocantur, tortæ ex piris, & cotoneis, vel similibus tempore hyemali. Sed fructus omnes, quoniam humidi ac putrescibiles sunt laudantur, præter quosdam, qui ante cibum sumuntur, vt sunt cerasa acetosa, quæ vulgo amarascas, & amarenas vocant, & pruna etiam Damascena, ac quædam genera pirorum dulcium, vt sunt pira moschata, & similia, neque ex ipsis multa quantitas comedatur: his accedunt cotonea, siue cytonia dixeris, quæ cocta post cibum comedi solent, similiter & amygdalæ recentes, auellanæ recētes non induratæ, fistici ac pinearum fructus comedi possunt. Sed de nucibus non parua est apud me hęsitatio cum videam fere omnes antiquos eas laudasse, quæ quoniam nocent stomacho, pectori, & capiti, ac difficilis sunt concoctionis in stomacho, mea quidem sententia omittantur, nisi forte aliquis ipsis vti voluerit, non vt cibo, sed vt medicina veneno contraria, quo in casu præparant sic: Accipiunt nuces, ficus, & rutam, ac simul in mortario conterunt, & mane comedunt, dicuntq; esse theriacam omnibus venenis contrariam, vt testatus est Galenus secundo de Facultatibus alimentorum auctoritate plurium medicorum. Ficus vero nocet stomacho, quare si uiridis comedatur, sit maturus ac super arborem passus & ante cibum. Vua quoniam laudabilem generat sanguinem comedi potest, ea tamen non omnino matura sit: illa vero quę montosis nascitur locis melior dicitur esse, qua tamen nemo statim post collectionem uescatur, sed duos aut tres dies post, quæ si ante cibum cum pane comedatur melius est. Cæteræ uuæ exiccatæ, ut sunt quæ ex Damasco asportātur, quoniam pingues inflantes sunt non laudantur & si gratæ sint gustui, sed passulę illę paruæ nigrę, optimæ sunt; etenim bonum generant nutrimentum, stomachumq; roborant tā solę, quàm cum aliis cibariis & saporibus comestę. Sunt præterea quā plurimi fructus, qui quoniam mali sunt dimittātur, ex quibus sunt cerasa dulcia, mora, chrysomela, persica, poma, sorba, mespila, & quę azarolia poma dicuntur; sunt autem eiusdem generis tametsi aliter quidam credunt, nam quę in agris Romę propinquis nascuntur meliores & sapidiores sunt nostris. Sed castaneę dimittendę sunt. Possunt tamen aliquādo quędā poma odorifera comedi, assa-

ta tamen in prunis vt eius humiditas putrescibilis consumatur. Citria vero secundum omnes eorum partes laudatissima sunt, similiter limones, ac poma medica quæ narancias vocant, ex istis omnibus tam ex corticibus, quam seminibus & eorum partibus acetosis siquid comedatur, præseruamur à cõtagione pestifera, etenim cor recreant, atque veneno pestifero, aduersantur; similiter & poma granata, quæ & punica dicuntur, præsertim acetosa & mitia siue medii saporis dixeris, optima sunt. Præterea legumina viridia omnia mala sunt, vt fabæ, pisa, ciceres, & reliqua, quoniam inflantia sunt, ac malum succum generant. Melones, quos pepones vocant, tempore æstatis omnes comedunt, attamen quoniam nimis humidi sunt, nocent stomacho, ac sanguinem aquosum generant sæpeq; leuitatem intestinorum faciunt, si ex eis plus quam par sit comedatur, quare licet sua humiditate & domestica frigiditate, quæ potius temperies dici potest, caliditatem ex aere æstiuo contractam extinguant, parce comedantur in regimine præseruanti à peste, ii tamen ante cibum comedi debent, vt cæteri fructus molles. Neque audiendæ sunt fatuitates quorundam dicentium nullo modo vsui victus humani esse melones conuenientes, cum sibiipsi & antiquis sapientibus sint cõtrarii. Præterea ante & post cibum scilicet in prima & vltima mensa solent diuites quosdam fructus, & alias res saccaro, siue zuccaro dixeris non refert, conditas comedere, vt sunt limones parui qui optimi sunt, citri, aranciæ, & cortices eorum, & flores etiam, qui omnes sunt vtiles cordi & malignitati venenosæ resistunt: huc accedunt poma cotonea, & pira condita, quæ si post cibum comedantur prohibent ascensum vaporum ad caput, sunt præterea alia, quæ in vsu sunt, vt amygdalæ, pineæ, anisi, coriandri, quos saccaro siue zuccaro coopertos confectos vocant, ii post cibum comeduntur, præsertim anisi, & coriandri, nam præparant coriandros aceto vel vino granatorum postea saccaro condiunt, sicq; conferunt cerebro, dicant non nulli quicquid velint perperam Dioscoridem intelligentes de coriandro, cum non quocunque modo ac quantitate sumpta mentem percutiat, quoniam quælibet medicina secundum diuersam sui præparationem, & prodesse, & obesse potest, testimonio Galeni inquam pluribus locis, & experientia ipsa: pudeatq; ipsos verba & auctoritates antiquorum male intellectas pertinaciter sine ratione & experimento affirmare, cum totam vim medicinæ consistere in ratione & experimento sæpe dixerit Galenus. Sed eo vnde discessimus redeamus. Sunt præterea fructus saccaro confecti iam dicti optimi, qui post cibum comedi possunt, pro stomachi vt aiunt sigil

lo, & non solum dicti confecti sed alia etiam sunt, vt marzapani, cansiones, & alii pastilli, vt qui ex pineis etiam & fisticis, ac seminibus melonum & aliorum fructuum conficiuntur, cum saccaro. s. & aqua rosacea, attamen ex eis parce comedantur: quoniam dulcia sunt & ea ratione facillime in choleram conuertuntur. Sunt & alia condita diuersa optima & potius medicinalia quam cibus, vt sunt myrobalani emblici & chebulii, qui sunt in refocillatione stomachi mirabiles & grati gustui veneno resistentes, & comeduntur mane quatuor horis ante cibum, & sumi possunt in quocunque anni tẽpore. Sed in hyeme optimum est pro stomachi refectione mane sumere radicem zinziberis conditi, confert enim stomacho, præsertim si in ipso multæ fuerint materiæ frigidæ viscosę. Et quoniam multa edulia superius nominata sunt, notabis ex sententia Auicennę, capite de eo, quod comeditur & bibitur si vna mensa diuersa cibaria comedantur, plurima mala inde proficisci, quorum primum est, quoniam varios cibos comedentes plusquam par sit comedimus, secundum aũt quia ex diuersitate cibi, fit diuersa, ac varia secundum partes & tempus digestio, vnde fit admistio digesti & non digesti, quę mala admistio neque ab hepate, necꝫ à venis corrigitur vnde sequũtur febres, tertium est quia stomachus magis in digerendo laborat, tam ratione qualitatis quam quãtitatis, quare dicebat Galenus tertio Regiminis acutorum diuersitatem cibi causare stomachi inquietudinem, & ea ratione laudauit Auicenna antiquos qui vnico genere cibi saturabãtur. Quare quoad fieri potest in præseruatione, à febre pestilentiali à diuersitate cibariorum abstinendum erit, quos cibos optime mandere conuenit, quoniam melius digeruntur, vt dixit Galenus tertio de Virtutibus naturalibus. Et hæc de cibis satis. Potus vero sit vinũ mediocre in omnibus & primo in substantia, quæ non sit crassa, crassam autem habeat omnia vina turbida spissa, sit clarũ subtile medii coloris, non dulce nec acre, sed medium habens saporem, non sit prę terea vinosum aut nimis aquosum, sed mediocre, boni odoris, & saporis. Neque audiendi sunt vulgares bibuli dicẽtes, vina vinosa & magna esse bibenda in præseruatione à febre pestifera, vt sunt vina cretensia, & similia, quæ ipsi sæpissime bibunt, & quod peius est febricitantibus, & apostemata pestilentialia patientibus exhibent, ii sic bibẽtes præparant corpus ad febrem, quæ si hominem corripiat facile postea pestiferam aeris qualitatem suscipiet, & cum huiusmodi error communis sit nostro tempore, causas cur perperam agant tacere nolui. Extant præterea auctoritates antiquorum, Auicennæ scilicet & aliorum, prohibentes vinum vinosum in præserua-

tione, & etiam multitudinem vini, non tamen absolute vinum prohibent, neque tolerare sitim iubent, immo in præseruatione à febre pestilentiali dicebat Auicenna malum esse tolerare sitim, quoniam siticulosos oportet plurimum aeris attrahere, qui aer cum infectus sit inficit spiritus cordis, quare nocet abstinere se à potu si sitis adest, igitur bibenda sunt ea, quæ palatum refrigerent, & malum aerem atractum corrigant vt est aqua herbæ acetosæ, aut buglossæ, vel etiam aqua communis cum vino granatorum aut succo vuæ immaturæ, vel succo limonum, aut citri, quoniam non solum in præseruatione conueniunt, sed in præsenti febre prosunt, caue tamen bibere aquas malas, quæ in puteis immundis, aut locis cœnosis & paludosis morantur, nam generant cæteris paribus deteriores & maligniores febres quàm aliæ. Quod si aliqua de causa vina vinosa bibere oportuit, puta ex stomachi imbecillitate, bibantur mane ante prandium in pauca tamen quantitate, nã huiusmodi vina plerũq; bibere oportet præsertim in illis regionibus, quæ mollia, ac leuia vina non producũt, quare diluantur aqua bona, quę careat omni mala qualitate. Præterea cauendum est a diuersitate vinorum, ac ab eis, quæ sponte deferbuerunt, aut putredini parata sunt. Nota tamen q aqua, cũ qua diluitur vinum, vel aliæ res coquuntur, si fieri potest, debet esse optima, vtputa fontis, vel fluminis currentis, aut putei, vt est in vrbe Veneta regina aliarum, ibi nanque aquæ, quibus vtuntur, in puteis sunt fontes, flumina. putei vero non sint cœnosi, sed per arenas ac saxa fluat aqua, quod si timeas aliquam malitiã aquarum ea omnis decoctione aufertur, sic enim facere cõsueuerunt doctissimi Venetiarum medici in correctione malæ qualitatis aquarum. Præterea cibi & potus ordinate sumendi sunt, ita vt prãdium sit in mane post horam tertiam diei, vel vt dixit Auicẽna capite de eo, quod comeditur & bibitur hora comedendi sit quãdo appetitus insurgit. s. naturalis, quod euenit facta digestione præcedentis cibi. Et præcedant edulia, quæ facilius digeruntur, vt fructus, fercula, & carnes elixæ præcedant, postea assatę, & teneras quasq; consequantur duriores; in cœna vero minus comedere conuenit, idq; ex rebus, quæ facilius digeruntur, quoniam ex diurna exercitatione, calore naturali imbecilli facto, prandii non perfectam digestionem factam esse scimus, tum etiam ne ex multitudine cibi quies nocturna, quæ ad spirituum instaurationem facta est, teste Aristotele, impediatur, & etiam quoniam, vt superius dixi, repletio nocet tempore epidemiæ, cum præparet corpus ad putridas ægritudines. & quoniam acetum mirabile est in præseruando cibum à corruptione memento miscere id

in illis cibariis, in quibus conuenit, & quæ eo gratiora redduntur. Similiter optimum erit vti succis limonum & aliarum rerum acetosarum, secundum tamen temporum, & corporum diuersitatem, neque audiendi sunt, qui dicunt cœnam copiosiorem prandio esse oportere, ex Galeni sententia, quoniam ex ignorantia modi cibariorum antiquitatis, diuersi a nostro vsu comedendi male interpretati sunt Galenum. neque enim credendum est doctissimum medicorum talia prorsus absona & irrationabilia præcepta tradidisse, quæ vniuersalia isti esse volunt. scio etenim quibusdam sumendam esse vberiorẽ cœnam, sed plurimis nocet, paucisque confert ex rationibus dictis. Notare etiam oportet tam repletionem nocere, quam famem tolerare, maximum enim malum est famem tolerare, quoniam stomachus impletur malis superfluitatibus, sero simillimis, quæ postea sunt causa ipsius debilitatis, vnde sequitur mala cibi concoctio vt docte dixit Galenus libro tertio de Potentiis naturalibus. quare in omnibus oportet regulam obseruare, dixit nanque Hippocrates in libello de Prisca medicina: Non minor error est, nec minus hominem lædit, si quis det minus, aut tardius quam satis est, & expediat pars. n. famis & inediæ plurimum in hominis natura potest & ualentem facere & infirmum, ac perimere, multa etiam alia mala illis non similia ex plenitudine proficiscuntur. Et hæc satis de illis quæ eduntur ad præseruationem dicta esse volui, quæ etsi diuersa & multa sint, attamen meum consilium erit simplici, quantum fieri potest, vti cibo, ne nimis corpus repleatur, quare de inanitione & repletione dicendum erit.

De inanitione & repletione. Cap. 4.

TEmpore quo malus aer pestilentialis timetur, studendum est præcipue superfluitatum euacuationi, quoniam ex retentione excrementorum generantur ægritudines in omnibus partibus corporis, vt dixit Galenus primo de Ratione victus in morbis acutis, & in libello de Differentiis febrium, qui præseruabat à febre pestilentiali euacuando superfluitates & oppilationes aperiendo, sicque reddebat corpora exiccata, malas etiam superfluasque humiditates extra ducendo, quare ita etiam nos studere oportet vt quantum fieri potest excrementa intestinorum & vesicæ & capitis & aliorum membrorum euacuentur, si sponte natura ea non purgauerit, igitur si quotidie fęces intestinorum non expurgentur, optimum est vti clystere, vel glande supposita. Sed laudatissimum euacuatiuum, superfluitatum communium intestinorum, & etiam vrinæ, est vsus pilularum Russi, quæ ab omnibus laudantur, & exper-

tæ sunt in tali præseruatione, á febre pestilentiali, ac ob eorum excellentiam in tali præseruatione, eas nominant pilulas contra pestem, has quoque descripsit doctissimus Auerrhois sexto Colliget cap. vltimo, quæ sic componuntur: Recipe aloes partes duas, croci, myrrhæ an. partem vnam, misce & fiant pilulæ cum vino aromatico, sumantur mane per quatuor horas ante cibum, ad pondus vnius scrupuli vsque ad drachmam quotidie vel alternis diebus, in hyeme cum modico vini aromatici, in æstate cum aqua acetosæ vel rosacea. Neque inuentus est aliquis, qui vsus si hac medicina & á pestilentia non fuerit præseruatus, quare huiusmodi pillulæ sunt habendæ pro maximo thesauro, ac febris pestilentialis amuleto, mouent enim ventrem sine molestia seu agitatione, ideo semper eas paratas domi esse præcipio. Possem multas alias pillulas & medicinas, quæ ventrem leniunt, & á febre pestifera præseruant scribere, quas breuitati studens dimitto, vt sunt pillulæ de aloe lotæ cum infusione rhabarbari, tria persica, descriptione Mesuæ, quæ datur etiam æstate & leuiter ventrem lenit, aut sumat syrupi rosacei solutiui, unc. iii. diluti aqua acetosæ, mane, & est medicina mirabilis & facilis, multæ aliæ medicinæ sunt, quæ quoniam notæ sunt satis esse putaui candidatos medicinæ admonuisse multas esse medicinas purgantes sine molestia, in quibus est etiam vis præseruandi á febre pestilentiali, sed laudatissimæ sunt pillulæ Ruffi dictæ communes & expertæ, quidam tamen componunt alias pillulas euacuantes & preseruantes hoc modo: Recipe aloes lotæ drach. ii. boli armeni orientalis, terræ sigillatę, croci, myrrhæ an. drach. i. misce & fiant p llulæ cum vino aromatico, eæq; singulæ singulis, vel alternis sumantur diebus, secundum vrgentem necessitatem, & corporis plenitudinem, ita ut omni ingenio uel cum ista uel cum alia medicina, siue per superius sumpta fuerit, siue per inferius, corpus exiccetur euacuando, & in ipso qualitas contraria pestilentiali veneno imprimatur. Præterea conuenit mane cum e lectulo surrexerit, sputum promouere, & muccositates ex naribus extrahere & si est assuetus vomere, vomitum prouocare, quod si non est assuetus nocebit, quoniam trahit materiam ad partes superiores & nobiliores crura etiam & brachia & reliquæ corporis partes á sordibus linteo fricando abstergere optimum erit, caputq; & barbam semel & bis etiam in hebdomada lixiuia lauare, in qua decoctę sint rosæ & laurus, sapo etiam sit ex bene redolentibus compositus vt faciunt vnguentarii componentes odorifera pro delicatis hominibus, de quibus odoramentis abunde supra scripsi. Et conuenit omnes superfluitates & im-

mundicias corporis amouere, fricando, lauando, & abstergendo vsque ad sudoris leuem prouocationem; sed quoniam non solum dictis superfluitatibus retentis & non euacuatis fiunt ægritudines, ex sententia Hippocratis loco allegato, verum etiam ex malo sanguine & aliis malis humoribus cum ipso admistis, ideo si apparet aliqua sanguinis repletio, aut malitia à quacunque causa, bonum ac optimum consilium erit venam incidere, & tantum sanguinis, quantum erit opus, mittere, secundum hominis robur, & malitiam, vel sanguinis multitudinem, quoniam repletio, quæ in venis est, ac malitia facilius per venæ sectionem corrigitur, quã aliis auxiliis. Quare audacter poteris ad sanguiuis missionem accedere, testantibus antiquis, & modernis scilicet Hippocrate, Galeno, Rasi, Haly abbate, Auicenna, Auenzoar, Auerrhoe, & aliis omnibus. Quod si quis assuetus esset per hęmorrhoidas sanguinem euacuare, aut per alias cõuenientes regiones, vt mulieres per menstrualem euacuationem venarum vteri, & minimum aut nihil prorsus euacuetur, in iis autem docente Hippocrate per easdem conuenientes regiones sanguinem mittere oportet, quare aperiantur venæ mariscæ siue hæmorrhoides, & mulieribus danda sunt ea, quę mẽstruum sanguinem prouocare consueuerunt, quæ tamen non sint nimis calida, sed temperata, vt sunt radices petroselini, apii, endiuiæ, capillus Veneris, ac similes res aperientes & prouocantes, vel apponantur mane ventosæ, coxis, cruribus primo linteo fricatis, quod si istis auxiliis non fluat consuetus ab vtero sanguis, & signa sint sanguinis repletionis, aperiatur vena saphena pedis vel poplitis, sicq; exinanies corpus à suis superfluitatibus, per diuersas superfluitatum euacuationes. Quod si quis à medicinis purgantibus abhorreat, quoniam iis non sit assuetus, tunc dixit Galenus abstinentiam cibi totum corpus æqualiter purgare, ita vt exiccando per abstinentiam cibi aut per euacuationem maior pars conseruationis ex sententia Galeni & Auicennæ consistat: quare qui non potest corpus exiccare medicinis, abstineat se saltem à nimia cibi & potus repletione, & minus comedat quam alias consueuerit, vt si qua superfluitas in corpore reliqua sit, à calore naturali, cibariorum abstinentia minus impedito, consumi possit, & esto memor eorum, quæ dicta sunt superius quod tolerare famem non solum stomachum implet malis humoribus, verum etiam, si quis diu ieiunauerit, vt faciunt quidam nihil comedentes per aliquos dies, isti exterminant virtutem, qua exterminata corpus efficitur debile, quod postea est paratum ad omnem malam putredinalem dispositionem, immo dicebat Hip-

pocrates de Ratione victus secundo, semel in die comedere emaciat, siccat, ventrem sistit, nam à nimio calore humidum ventris, consumitur, prandere vero contraria facit, sit igitur in omnibus modus medius, dando semper aliquid consuetudini, ætati, & tempori, & aliis. Te memorem tamen esse oportet quod tota intentio in præseruatione, vt superius dictum fuit, est exiccare corpora humida à naturali, vel accidentali humiditate, & quæ sicca sana sunt in ea siccitate conseruare. Videlicet corpora, quæ superfluitates non habent, inanire minime oportet, quoniam dicebat Hippocrates errare qui sana habent corpora si purgationibus vtantur, & ratio est, quoniam euacuant humores & humiditates radicales, in quibus calor naturalis pascitur. Quare si aliquando contigerit fluxus nimius ventris, vel aliorum locorum vt puta in mulieribus menstruales euacuationes, quibus cum si nonnulla virtutis appareat molestia siue dissolutio, talis fluxus omnino sistendus est cum rebus domesticis, tam intus sumptis, quam extra applicatis, quoniam semper, vt dicebat Galenus, oculum dexterum ad virtutem habere oportet, cum ipsa sit omnium operatrix; igitur, si opus fuerit, sinistrum etiam ad ipsam virtutem simul cum dextero habere operæpretium erit, remouendo causam nocumenti, & dissolutionis virtutis, & ideo summopere laudantur ante cibum res, quæ stomachum roborant, vt sunt confectio Diaradonis abbatis, confectio trium sandalorum, & in hyeme plirisarcotrium propter eius excellentiam in stomachi & membrorum principalium omnium roboratione, est etiam confectio de gemmis, diamusci dulcis, vel vt superius dictum fuit myrobalani conditi, limones, & similia. Et hæc de inanitione & repletione satis dicta in præsentia esse volui.

De modo quo debemus exercitare corpus. Cap. 5.

QVoniam, vt dicebat princeps Auicenna tertia primi, doctrina secunda, capit. primo, in exercitatione corporis, anhelitus, & intensior & remissior necessario fit, inde in præseruatione à febre pestilentiali ob aeris corruptionem vehemens exercitium non conuenit, immo neque mediocre, cum etiam corpore mediocriter calefacto necessarium sit ad cordis refrigerationem aerem extrinsecum frequentius inspirare, vnde sequitur spiritus cordis infectio, ab aeris exterioris malitia. Nocet etiam nimia quies quoniam ex hoc superfluitates & humidi humores generantur, vt testatus est idem Auicenna, nam nimia quies corporis virtutes hebetat, sequunturq; ad ipsam oppilationes & corporis infrigidatio, quare neque sine aliquo leui exercitio potest

tueri à mala aeris contagione, cum debilitatum corpus facile sit vinci à quacunque causa, etenim diminuta resistentia agens & citius, & fortius agit. Et ideo in preseruatione debemus eligere exercitia leuia. Sed quoniam vt dicebat Hippocrates libello de Ratione victus, cum labores quidam sint naturales, & quidam non naturales, scilicet ui & necessitate aut arte facti; sermo prior erit de naturalibus, qui sunt multi, vt visio, auditus, locutio, deambulatio, & similia, quæ sine aliquo labore fiunt. Violenti vero labores sunt iidem iam dicti, si vehementiores ac intensiores fiant, quare fugiendi sunt ex causis superius dictis, & moderatione quadam in omnibus vtendum, verbi gratia mane antequam surgat e lectulo leuiter omnes partes corporis fricentur, manibus. s. vel subtili linteo, incipiendo à cruribus deinde ascendendo ad alia membra, videlicet ad brachia, &, pectus, & inguina. maxime vero sub alis abstergendo, ac paulo post, caligas & alia indumenta induat, dum tamen ista perficiuntur, prouocentur sputamina & muccositates, deinde quiescat paululum, & in speculum inspiciat, sic enim visus leuiter exercetur, deinde capillos & barbam cum leui quadam fricatione pectat, sic enim capitis meatus aperiuntur, & fumosæ superfluitates euacuantur, & virtutes postea interiores meliores fiunt his euacuatis, quo perfecto iterum quiescendo speculum inspiciat ad animi virtutes excitandum. Præterea manus & faciem aqua tepida lauabit, sed in ea admiscenda sunt odorifera quædam, vt est aqua rosacea vel aqua florum citri, aut limonum, aut aranciarum, aut violarum, vel aliquod ex odoramentis dictis capite de Rectificatione aeris, quæ linteo abstergantur cum quapiam fricatione. Dum vero ista fiunt ad animi exercitationem, mente voluat præterita solatia, & gaudia, deinde ea, aliave commemorando se exerceat. Et vt dicebat Plato ip primis deum venerando, quare incipiat legere aliquos psalmos, siue orationes aliquas, submissa voce, vel eas memoriter dicat, quod si est clericus canonicas horas legat hoc modo quodam suaui sine labore, aut si studiosus legat ea, quæ animũ lætificent, neque in difficilibus moretur: deinde si diues, nobilis, aut princeps sit, audiat aliqua instrumẽta musica, vt citharas, aliaq; huius generis oblectamenta, cantilenas scilicet, vel aliquas voces, quæ sint auribus gratæ, inter quas, vt dicere solebat Themistius, gratissima est vox illa, quæ laudes audientis decantat: fugiendæ sunt inspectiones rerum turpium, similiter earum, quæ visum defatigant. Præterea locutiones & cogitationes rerum tristium, ac malarum, & clamationes, alterationesq;, & studia ardua, & sonus & voces asperæ, & cantus qui aures offendunt

deuitentur, hæc enim omnia teste Hippocrate loco allegato cum suaues sunt roborant animam & eius virtutes, immoderatæ vero & fortes dissoluunt, & calefaciunt corpus, calefactione mala. Antequam vero ad prandium se conferat exerceat corpus aliqua leui deambulatione, in aliquo loco, in quo hominum multitudo non sit, quoniam frequentia hominum ex inspiratione & expiratione alterant aerem alteratione mala, & ideo tali tempore loca, in quæ multitudo hominum conuenit, adire non laudo, vt sunt Ecclesiæ magnæ, & forum vel prætorium & huiusmodi loca, ad quæ hominum multitudo se conferat. Deambulent igitur in loco amœno, vt sunt viridaria, in quibus sint herbæ & flores & fructus benè redolentes. Quod si aer esset talis, qualis sæpe tempore pestis uisus est, videlicet turbulentus, crassus, fœtidus, nullo modo exire oportet, sed domi manere, & factis aspersionibus & suffumigiis dictis in capite de rectificatione aeris, leuiter deambulare & sic se exercere; vel vtatur, si est impotens ad ambulandum, aliis leuibus exercitationibus, vt est manum manu confricare, brachia extendere, vel ludere lusoriis tabellis, sunt & quamplurima alia genera exercitationum leuium non calefacientia, neque ducentia ad necessitatem frequentis anhelitus, vt sunt Venetiis vehi cymba, & in aliis locis continentis vehi curriculo leuiter currente & in loco plano, leuis equitatio super mulam placide incedentem, & cætera talia, quæ omnia possunt & plus & minus alterare corpus secundum diuersos respectus, puta ætatis, temporis, & consuetudinis. Consuetudo quantum possit omnibus clarissimum est, ita vt dixerit Hippocrates assuetos ferre solitos labores minus periclitari, & si senes et imbecilliores sint quàm insueti. & Aristoteles dixit in libello de Memoria & Reminiscentia, consuetudinem esse alteram naturam. Aliæ vero exercitationes, tam corporis, quam animi, quæ violentæ sunt, etsi laudentur ab antiquis in regimine sanitatis, attamen, quoniam dissoluũt virtutẽ, & corpus calefaciunt, ideo dimittendæ erunt. Sunt autem violentæ exercitationes, vt trigonalis pilæ, siue paruæ pilæ dixeris, ludus, venationes, cursus, saltatio, choreæ, equitationes, & alię exercitationes, quæ omnino nocent. Corpore igitur aliqua leui defatigatione exercitato, sumendum est prandium, & quoniam maximum malum est exercitatio post cibũ, ideo conuenit quiescere, huiusmodi enim motus cogit cibum ante digestionem descendere, ac etiam corpus inflãmat, vnde sequuntur febres malæ, quare non est bonum vti exercitationibus calefacientibus nisi facta priori digestione, quæ in stomacho est, & secũda quæ fit in hepate. Quod si aliqua de causa cõtingat

vt sit necessarium puta deambulare, vel equitare, & similia, sit illa defatigatio & facilis, & breuis. Conuenit tamen vna hora ante cœnam leuiter exerceri, & vt dictum fuit leuis deambulatio vel equitatio, & vehi cymba Venetiis, seu curru in continenti, in loco plano, & de similibus. Tempus vero inter prandium & cœnam non sit minus octo horarum, neque tamen duodecim excedat, ita vt stomachus patiatur, vt contingit cholericis, qui ex stomachi inanitione deficiunt. quod si acciderit, exhibere oportet vipam, siue panem infusum in vino aromatico non uinoso sed boni odoris & saporis, potes etiam facere vipam, seu infundere panem, in vino granatorum & dare in tali casu. Quies vero & ocium nimium siue sit animi, siue sit corporis malum est, quoniam ex eo multiplicantur superfluitates corporis, uirtute debilitata, quies nanque corpus infrigidat vnde sequuntur oppilationes quæ postea sunt causa febris. Quare vt sæpe dictum est, sint leues animi & corporis exercitationes. Sed quoniam actus siue amplexus venereus non fit sine labore, ideo non sine ratione cum de exercitatione dicitur de coitu etiam dicendum est. Vulgata est enim in ore omnium propositio retentum sperma generare venenum, ideo hoc animaduertendum est coitu fieri vt semen humanum extramittatur & hoc ad conseruationem speciei, materia autem illius est nobilior pars abundans, ex nobiliori nutrimento corporis. Nam si semen multiplicetur & diu retineatur, tam in maribus quam in fœminis sæpe diuersas & malas ægritudines generat, præsertim in sanguineis abstinentibus à cōcubitu hoc videbis. Diuersæ etiam fiunt ægritudines & malæ ex ipso inordinato coitu, præter quas etiam, si nimius fuerit, senectutem celerat. Debilitat cerebrum & stomachum, & præparat ad susceptionem qualitatis pestiferæ, vt dictum est de præparatis ad febrem pestilentialem. Nam quemadmodum nimium coeuntes facilius in febrem pestiferam incurrunt, ita etiam vt plurimum moriuntur. Quare quantum fieri potest à frequenti & inordinato coitu tempore suspitionis abstinendum est, & nisi necessitate coactus ipso vti non oportet. Signum vero necessitatis est, vt si quis ex retētione seminis dolorem capitis patiatur, aut cardiacam dispositionem, aut præfocationem, vt contingit in mulieribus, uel aliquod aliud, tunc omnino coeundum est, & hoc debet fieri sine labore, neq; in ea re multum immorari, quoniam corpus inflammat & fit frequens aeris attractio, hoc præterea attēdēdum est. s. consuetudini, ætati, cōplexioni, habitudini, & tempori inseruiendum esse, quoniā assuetis minus nocet, quemadmodum iuuenibus minus quā senibus, sanguineis minus quā cholericis, atque his

minus quam phlegmaticis, phlegmaticis minus quam melancholicis, minus carnosis, quam macilentis, minus in uere, quam in æstate, sed maxime nocet coitus in æstate, & in diebus uehementissimi caloris, quos dies caniculares appellant, in autumno minus quam in æstate, attamen magnifice nocet, cum iam corpus factum sit debile ex præcedenti æstatis caloris resolutione, in hyeme etiam nocet, sed minus quam in autumno. Hora vero melior coitus, est in mane post somnum, & sit cum vxore nitida, neque sit tempus quo menstruales apparent euacuationes, neque sit post cibum, aut laborem, aut post sudorem aut post iram, neque libidine & blanditiis mulierum excitatus, sed sit moderatus & si fieri potest sine labore. Et hęc de exercitatione dicta satis sint.

De regimine somni, & vigiliæ. Cap. 6

CVm somnus quædam quies sit. Proportionalis igitur erit sermo, si post corporeas & alias exercitationes de somno & uigilia dixero. Dicebat enim Hippocrates secundo Aphorismorum, somnum & vigiliam si modum excedant mala esse, quare reguletur sic somnus in primis dormiendo secundum debitum tempus, & horis congruis. Dormiendi igitur hora sit post cœnam duabus horis, & somnus non sit longior, quam octo horarum, nec breuior quam sex, etenim somnus longus infrigidat, & humectat corpus. Vigiliæ vero cum superfluunt virtutem hebetant, vt dixit Galenus secundo de Ratione victus in morbis acutis commento lvii. Somnus diurnus & post cibum factus nocet, & ideo abstinēdum est ab ipso, nisi fuerit antiqua consuetudo dormire in die, & post cibum, hoc in casu somnus diurnus concedi potest, & etiam paulo post cibum, & in illis, qui virtutem stomachi digestiuam debilem habent, attamen talis somnus semper deterior aliis est, cum generet plurimas humiditates, & virtutibus aliis parum prosit, ideo sit breuior quam pro consuetudine esse solebat ut mala consuetudo paulatim aboleatur. Cum ergo duabus horis post cœnam ad lectulum se confert sciat sibi pulcherrimam regulam traditam a principe Auicenna tertia primi capite de eo, quod comeditur & bibitur, inquit enim oportet primo super latus dexterum recumbere, & hoc quoniam sic cibus melius & citius ad fundum stomachi descendit, postea accumbat super sinistrum, quia sic coadiuuante hepate melior fit cibi digestio, qua digestione facta, vertatur super dexterum, vt excrementa facilius egredi valeant, in quo quidem somno nocturno oportet cooperire se pannis secundum temporis conuenientiam, vt verbi gratia in hyeme plurimis ad custodiam caloris, in

æstate vero paucioribus, quoniam in somno cum calor sit intus contractus, oportet exteriores partes esse coopertas, ne corpus sic calefactum aerem extrinsecum malum suscipiat, cum ex contractione caloris partes exteriores imbecilliores sint ac magis paratæ ad suscipiẽdum extrinsecam alterationem. Neque supinum dormire oportet, quoniam calefacit ac sitim generat & necessitatem attrahendi aerem. At siquis pronus dormiat confert mirum in modum stomacho debilitato, ac etiam quando crassiori cibo aut copiosiore vsus sit, & tunc somni longiores sunt conuenientes. Præterea nimia vigilia vt dictum est, nocet, corpus inflammat, præparat ad febres, & dissoluit virtutem, ita vt formam corrumpat, & ad extremam maciem inducat. Quare si vigiliæ tempore æstatis ex nimia caliditate & siccitate aeris accidant, prouocandus est somnus cibis domesticis, ut puta, lactucis. Quòd si timemus lactucæ frigiditatem, possumus permiscere melissam, quoniam vt dixit Serapio, præter alias virtutes quas habet in refocillatione cordis & contra humores venenosos, inducit somnum, possumus etiam inducere somnum refrigerando aeris caliditatem cum sparsione foliorum, ac florum frigidorum, vt sunt violæ, nenufaris, siue nympheæ, rosæ, foliorum lactucæ, salicis, & similia, vel aspergendo domum & cubiculum cum aliqua decoctione, in qua decoctæ sint herbæ & flores prædicti, vel cum aliqua decoctione frigida scripta, in capite de aeris rectificatione. Et notare oportet quod acetum prohibet somnũ videlicet eius odor, & ideo cum necesse est dormire caueant ab aceti odore, & eius sparsione per domum. Possem quidem multa alia notare, quæ ad conciliandum somnum faciunt, vt est expressio succi papaueris cibis infusa, & odoramenta, lotionesque in quibus & violæ & nenufar, & mandragora ingrediuntur, ac alia vnguenta, quæ omnia in cura febris abunde exponam, & hæc de regimine somni & vigiliæ dicta satis sint.

De regulis animi pas sionum. Cap. 7

INter causas efficientes, quæ complexionem siue temperaturam corporis nostri corrumpunt, animi affectus Auerrois sexto Colliget capite primo enumerauit. Et ideo quantum fieri potest studendum vt ii omnes procul sint, vt est pusillanimitas, solicitudo, timor, cura, tristitia, ira, cogitationes, imaginationes, ac opiniones tristes, studia laboriosa, verecundia & similia. fugiendę etiã sunt causæ, tristitiam inferentes, ut est mora in locis obscuris, & fœtidis, ac inspectiones corporum languentium, & mortuorum, & rerum monstruosarum & picturæ horrendę: fugiendæ sunt etiã lectiones illæ, quæ mœrorem

rorem

rorem inducunt: neque bonum est interesse narrationibus miseris et lamẽtationibus, & similibus, quoniã mirum in modũ tristẽ reddunt audientẽ, & omnes virtutes exterminant, vnde redditur corpus paratum ad malas ægritudines, immo, vt in primo tractatu dictum est, multi ex solo timore, & imaginatione, inciderunt in febrem pestilentialem, igitur gaudere oportet, etenim gaudium animam corroborat & eius virtutes excitat & corroborat, quæ postea corroboratæ resistunt causis alterantibus nostrum corpus. Dicebat enim Galenus in libello de ludo paruæ pilæ ad Pisonem, gaudium liberare hominem a multis & perniciosis ægritudinibus, quare, vt dixit Auicenna, oportet viriliter agere, ac bene operari, & omnia mala postponere, & eorum rememorationes, iucunda præterita memorando, ac futura expectando. Maneat præterea ęger in locis amœnis, in domo lucida, ornata tapetibus, & aliis ornamentis, secundum hominum dignitates, & facultates, cum iam dictis odoramentis & suffumigiis, vel deambulet per viridarium, aut alium locum amœnum, quoniam in istis recreatur & reficitur animus. Præterea exhilaratur animus si cum amicis charissimis congrediamur, & cum ipsis de rebus inducentibus gaudium & promouentibus risum colloquamur. Plurimum etiam conducit audire cantilenas, & instrumenta musicæ delectabilia, eaque interdum pulsare, cantareq́; voce tamen submissa, legere libros, & historias delectabiles, audire histriones, qui risum moderatum prouocent, inspicere picturas, quæ oculos delectant, vt sunt imagines matronæ venustæ, induere vestimenta serica, & alia coloribus visui gratissimis intecta, & inspicere vasa argentea, ac aurea, annulis etiam & gemmis manus ornare, præsertim illis, in quibus est proprietas resistendi aeri pestilentiali, & venenis, vt sunt carbunculi, smaragdi, hyacinti, & aliæ gemmæ. Et denarios enumerare seu inspicere, ludereq́; ludis iucundis, bene sperare etiam de rebus domesticis, & familiaribus, semper tamen Deo optimo maximo gratias agendo, ipsumq́; suppliciter exorando vt sua ineffabili bonitate a labe pestilenti omnes liberare dignetur.

De præseruatione a febre pestilentiali per ea quæ intus & extra exhibentur. Cap. 8.

CVm regimen præseruatiuũ a febre pestilentiali, regimine sex rerum necessariarum, quas non naturales etiam vocant, constet, quod in præcedentibus latius exposuimus, reliquum est vt ad perfectionem istius tractatus addamus qua ratione possit quis se tueri a febre pestilentiali per quædam, quæ euacuant, vel dum tangunt

corpus nostrum, siue gestentur siue in ore ferantur, vel dum masticantur deglutiuntur'ue, defendunt ipsum a contagione pestifera. Neque mirari oportet si quædam dicta in præcedentibus repetam, vt de vsu pilularum cōmunium Ruffi, quæ inter cætera in hoc principatum facile obtinent, cum hoc de industria ad clariorem practicantium doctrinam factum sit. Est enim sententia Galeni primo de Differentiis febrium, quam superius adduximus, & Aristotelis secundo de Anima cōmento xxiiii. nullam causam agere posse sine patiētis aptitudine, quare ne mala qualitas pestilentialis in corpus nostrum agere valeat ob eius resistentiam & indispositionem præcipua intentio est ipsum forte reddere, superfluos & malos humores euacuando, vt supradixi per venæ apertionem, si quis sanguine, vel aliis humoribus sanguine admistis abundauerit, vel etiam si materia diuersa esset a sanguine, attamē in venis esset, & in illis per quarum apertionem facile educi possit. De cuius euacuationis genere est euacuatio materiæ illius quæ per hęmorrhoidas fluere consueuit, quæ materia si non fluxerit, arte cietur, vel in mulieribus per mensium sanguinis prouocationem, aut, in assuetis habere sanguinis narium fluxum, per eundem locum. Quod si quis uenæ apertionē timet, loco apertionis venæ, appositio uentosarum, siue cucurbitularum cum scarificatione siue scalpellatione laudatur. Sed quando humor superfluus est alius a sanguine vt superius dictum est, purgetur medicinis leuibus secundum naturam humoris exuberantis, esto tamen memor in euacuando miscere ipsis medicinis ea quæ sunt accōmodata humori venenoso, verbigratia addendo triferam persicam. Quod si corpus mundum est, neque eget euacuatione, maneat in regimine aliarum rerum superius dictarum. Et hæc est prima præcautio in præseruatione, post hanc vero odoramenta superius dicta laudantur. Quare secundum diuersitatem temporum ipsi utendum est lauando capillos, & barbam vngendo, manibusq́ poma odorifera arte facta gestando, & fructus, vt sunt citra, poma, pira, persica; ac flores, vt sunt rosę, violæ, & secundum suum tempus. Cauendum tamē semp̄ est à nimis calidis odoribus, vt est moschi & ambræ odor, præsertim tempore æstatis, quoniam calefacit & capitis dolorem ciet, sint ergo isti odores calidi suis contrariis contemperati, vt puta cum aqua rosacea, vel camphora, & aliis remittentibus eorum caliditatē & ista est præcautio secunda iam dicta corpus nostrum defendens. Sed quoniā antiqui sapientes dixerunt quædā esse, quæ sua proprietate resistūt venenis, siue ea sint aeris pestiferi siue quouis alio modo cōtracta, ac ea multa esse fatentur. ideo putaui nō ingratū fore illa ad

dere, inter quæ lapides pretiosi & gemmæ enumerantur, quæ cũ sint diuersa & ob id aliqua sint nõ solum diuites habere possunt, verum etiam & mediocres homines, qui si eis experiri voluerint secundum regiones & hominum facultates, rem non omnino imprudentis hominis facient, tametsi quidam hoc tanquam fabulosum reiecerunt, attamen quoniam ipsæ gemmę minime obesse possunt mea quidem sententia non sunt explodendæ, pręsertim cum omnes fateri possint se multa vidisse, quæ a forma specifica operantur, vt apparet de attractione ferri a lapide magnete, siue herachio, & de retentione sanguinis a lapide iaspide, & etiam de lapide carbunculo, qui illuminat aerem, ideo ne alicui parti id, quod fieri potest in tam sęua ægritudine, deficiat, ista etiam minime dimittenda sunt, possibilitas enim est res ampla, & etiam aliquando confidentia in aliqua re reddit animam fortem, quæ postea suis instrumentis resistit causis exterioribus & interioribus corpus alterantibus. Quapropter semper laudatissimum est aliquid agere, quod, vt dixi, obesse non valeat, tametsi quod proderit non certa scientia sit, & ideo diuites & viri magni, ac principes, ferant lapides pretiosos appensos collo, quod fit si perforati sint, aut auro circundati, & maneant sub mammilla sinistra, vel gestentur in ornamentis manuum, ut in annulo. Sed inter primarios lapides, qui venenum fugant, & aeri pestilentiali resistunt, est lapis carbunculus, etenim vt dicit Albertus in libello de Lapidibus preciosis, eius præstantior virtus inter cæteras multas, quas ei attribuit, est venenum destruere ita, vt si in mensa, vbi venenum sit, præsens ponatur, debilitat venenum, & in ore detentum non permittit malam aeris qualitatem in spiritibus cordis imprimi. Secundo loco est lapis smaragdus, gemma seu lapis preciosissimus, resistens veneno & aeri pestifero similiter gestatus, vel in puluerem redactus bibitus per se, aut vna cum æquali portione boli armeni, & terræ sigillatæ ana. ℨ. s. qui potest sumi cum aqua acetosæ, vel vino aromatico, mane. Valet etiam lapis hyacinthus gestatus, quoniam dixit Albertus contrariari pestilentiali constitutioni, & veneno, & est medicina, quam etiã laudauit Auicenna, in libello de Viribus cordis, quoniam roborat cor, neque tanti emitur, quin & mediocres eum habere ualeant, multi enim reperiuntur apud gemmarios, confert similiter hic lapis si ore teneatur, vel sub mammilla sinistra. Neque pudet me etiam ea, quibus quidam Empirici vsi sunt in præseruatione aeris pestilentialis, hic scribere, inter quæ est gestare frustum arsenici albi, vel citrini inuolutum in panno serico, in latere sinistro

prope mammillam, dicunt hoc defendere a mala aeris pestiferi qualitate, cum sit venenum. Quod si verũ est, dicerem ego resistentiam esse, quoniam maior est virtus istius, quam aeris pestiferi, valeant autem ista quantum valere possunt. Et ad eas medicinas, quæ & ratione & usu; ac testimonio doctissimorum virorum, vt fuit Galenus, comprobatæ sunt, redeamus, inter quas principatum tenet theriaca, quam ipse laudat in fine libelli de theriaca ad Pisonem, istis uerbis: In pestifera lue sola hæc antidotus malo correptis prodesse adeo visa est, vt nullum aliud præsidium tanto malo resistere fuerit idoneum; pestis nanque tanquam & ipsa existat belua haud paucos interimit: verũ ciuitates quoque totas depascens male conficit. Quippe praua quædã aeris ad corruptionem prompta mutatio efficitur, & homines, quum respirationis necessitate periculum euitare nequeant, ipsum aerem veluti uenenum quoddam ad se per os attrahunt. Quamobrem etiam Hippocratem illum multis modis admirandum laudo, qui luem illam ex Aethiopia Græcos inuadẽtem nõ aliter curauerit, quam aeris mutatione, alterationeq́; ne talis amplius inspiraretur, igne in primis aerem corrigendo, in quo odorifera comburebantur, vt sunt flores & vnguenta suauissima, paulo etiam post dicit: Simili ratione theriacen, ceu ipsa quoque ignis quidam purgatorius existat, præsumentes in pestifero aeris statu neutiquam malo corripi sinere nouimus, & iam correptis posse mederi aeris inspirati malitiam inalterantem immutantemq́; vt quæ corporis temperaturam magis infici prohibeat. Quapropter consilium est ob has tam repentinas aeris constitutiones, aliasq́; noxarum causas obórientes, in prospera quoque valetudine antidotum assumere, quo externis accidentibus corpus resistat, ac vbi iam fuerit affectum, illam inuenies propitiam, quæ veluti bonam quandam temperiem, salubremq́; statum corporibus inducit, dum humorũ superfluitates absumit, & reliqua. hæc Galenus, quæ cum ita sint, assumptio quotidiana vnius scrupuli theriacæ, aut plus aut minus secundum temporis & aliorum emergentem necessitatẽ, mirum in modũ laudatur, quæ & sola & cum aliis quibusdam sumi potest, ut, si times eius caliditatẽ, cum aqua acetosæ, & interpolatis diebus, non autẽ quotidie sumas, sicq́; corrigitur inspiratus aer, & membrorum principalium uirtus roboratur, ut aeri malo resistere ualeat: theriaca.n. est medicina præstantior cæteris si moderate ipsa vtaris quoniã preter quã quod præseruat a lue pestilentiali, omnia mẽbra principalia roborat, ita ut & multas alias ægritudines euitare possis. Nocet tamen theriaca pueris, & febricitantibus. Quod si theriaca non ad sit, quo

niam hæc compositio vel raro fit, vel si facta reperiatur, non optima est, poteris loco ipsius dare mithridatum in eadem quantitate & ordine; sunt & alia, quæ per os sumpta resistunt aeri pestifero, vt est radix zedoariæ, ipsa nanque si in ore teneatur, vel deglutiatur stomachi roborat digestiuam, ventositatem dissoluit, ac humiditates ipsius exiccat, aeriq; pestilentiali & venenoso resistit. Attamen tempore æstatis & maximi caloris abstinendum est à frequenti vsu ipsius, & cum ea vtendum est herba acetosa, vel eius radice, quoniam est ex eis quæ multum prosunt si comedantur, vel ore teneantur. Valent enim semina citri, limonum & similia, si masticentur, & etiam cortices eorum. Sunt præterea ad hanc intentionem radices dictami, cardi, & chamæleontis, & cardi benedicti. Quidam vero ad præseruandum præter ea quæ dicta sunt exulcerant aliquam partem corporis cauterio actuali, seu potentiali, & vlcus tenent adapertum, vt ex ipso virus corporis emanet, quod non sine ratione & auctoritate factum est. Inquit enim Auicenna, qui habet vnum membrum ægrum supple exterius cætera interiora sunt incolumia, etenim membra intrinseca fortia expellunt superfluitates ad exteriora debilia. Hoc vero vlcus vidi factum in crure sub genu in parte syluestri in quodam, qui præstabat medelam infectis pestilentiali febre cum apostematibus, & eos animose tractabat. sunt qui faciunt huiusmodi cauterium in brachio supra cubitum vt præseruentur à peste, quod etiam laudo, quoniam in quacunque parte corporis fuerit semper prodest, attamen melius est ipsum facere in partibus ignobilioribus & extremis, quò humores facilius cursum habere possint, vt sunt crura. Sunt etiam qui & vesicatoria vnguenta ad præseruandum super crura apponunt, ac superficiale vlcus, butyro & folio caulis humefaciendo consolidare prohibent, vt inde virus corporis euacuetur, sunt etiam, qui tempore suspitionis quærunt incidere in scabiem per contactum scabiosi, credentes scabie ipsa corpus à malis humoribus mundari. Et etiam sunt quidam scabiosi, qui tempore suspecto nolunt sanari, dicentes scabiem mundare corpus à putridis humoribus, ii omnes grauiter errant, quoniam corpora scabiosa sunt magis parata, ad suscipiendam qualitatem febris pestilentialis quàm sint corpora munda, cum scabies sit ægritudo quæ non sine humorum putredine fit, ac contagiosa, tametsi cutanea sit ægritudo, quæ tamen non est aliquando sine iocinoris & massæ humoralis noxa. Nam si corpus mundum potest alterari ab aere pestilentiali, quanto magis corpus in quo iam humores aliquam putredinis partem contraxerunt friuolæ sunt

radis
ra.

etenim rationes dicentes ægritudines cutaneas fieri à natura forti, quæ mundificare sanguinem intendens mandat humores corruptos ad partes exteriores, cum hoc non tollat malam qualitatem iam contractam in massa humorali, per quam facilius imprimitur, ac cum minori resistentia vltima malignitas quæ est pestifera qualitas. Quare sibi caueant scabiosi, quoniam sunt maxime parati, ac omni ingenio curent sanare scabiem, euacuationibus, & per venæ apertionem, ac ventosarum siue cucurbitularum applicationem. Et etiam per alterantia mundificantia intus massam humorum, vt sunt syrupi, & cibi, & etiam per exteriores illinitiones, corroborantes membra, resoluentesq; materias putridas in ipsis, quoniam sic erit vera præseruatio. Sunt etiam qui tempore pestis cum habent vlcera in cruribus nolunt sanari sed ea adaperta tenent, quam rem summopere laudo, cum per ipsa vlcera quædam corporis superfluitates expurgentur. Animaduertant consanguinei id, quod in primo tractatu dixi, scilicet, se ex consanguinitate facilius posse infici, ideo, cum iis maius immineat periculum, quantum fieri potest si domi sit aliquis infectus omni præparatione tam exterius, quàm interius vti debent, & de illis quæ præseruant, vt dictum est, est terra sigillata, quam si Lemniam dixeris ab insula, à qua asportatur non refert, & etiam bolus, siue lutum, siue terra Armenia sumpta cum aqua rosacea in æstate, cui tamen in hyeme addendum est parum vini maluatici, vel falerni, vel alterius generis duabus aut quatuor horis ante prandium, & sunt res expertæ non solum ab antiquis, sed à modernis, & ego quidem sæpissime expertus sum tam terram sigillatam, quam bolum armenium, & vidi mirabilia, vt dicam vbi de cura huius febris & morbillorum & pestichiarum, ac aliarum cutanearum macularum, quæ in tali febre apparere consueuerunt, tractabo: datur etiam terra sigillata cum aqua rosacea & portione aceti, sed caue ne des nimiam aceti quantitatem patientibus difficultatem anhelitus, & tussim, pręsertim mulieribus; notabis etiam quod quando est tussis, melior medicina est bolus armenius, cum leniat pectus, dissolues autem ipsum aquis pectoralibus, vt est aqua farfaræ, quam tussilaginem Dioscorides vocat, vel buglossæ, vel capillorum veneris. Et istæ sunt medicinæ ab omnibus laudatæ in præseruatione, præsertim a Galeno, Auicenna, Paulo, Auerrhoe & aliis egregiis, qui hoc præseruatiuum post Theriacam secundo loco, & ipsum tanquam regale remedium posuere. Pauperes vero possunt vti bolo armenio eo, scilicet qui ex Germania & aliis locis Italiæ defertur, si eum præparauerint, hoc modo; Accipe bolum armenium di

ctum, in puluerem redactum, ad quantitatem quam præparare desideras, pone super ipsum aquarum rosarum, vel acetosæ, vel buglossæ, & cum sexta parte vini aromatici albi laua ipsum, postea permitte descendere & subsidere, deinde proiice aquam, qua proiecta assume vnam superficiem boli armenii post aliam cum cochleari vel alio instrumento idoneo donec totam illam partem, quæ boni est coloris, habeas: cum vero videris mutare colorem ad fuscedinem manifestã, dimitte & proiice partem illam, quoniam sordes & terra cœnosa est. priorem tamen serua exiccatam in vmbra, quod si pluries hoc pacto bolum armenium lauabis, optime facies, quantitas vero quæ ex ipso datur, sit drachmæ vnius vsque ad duas cum aqua rosacea, uel acetosa, & vino aromatico vt sudradictum est, habendo rationem ad malignitatem aeris, vtputa quando erit aeris corruptio maxima, maiorem quantitatem & frequentius dabis. Prȩterea prȩseruat etiam puluis radicis dictami ad pondus vnius drachmæ sumptus mane cum aqua rosacea & acetosȩ & modico vini odoriferi; ad idem quoque vt dictum est valet puluis herbæ acetosȩ, quȩ herba lapathii quoddam genus est, sumptus vt supra, quod si ipsam viridem comedas quantum manu comprehendi potest mane comede, quoniam præseruat à quacunque contagione calida venenosa interius, & exterius, & hæc herba facto ferculo potest etiam comedi, in prandio & cœna. Valet etiam tempore frigido puluis radicis tormẽtillæ sumptus ante cibum cum vino aromatico diluto aqua rosacea. Sunt tamen, qui ex dictis componunt puluerem et sumunt quotidie mane ad pondus vnius drachmæ, cuius talis est compositio: Recipe terræ sigillatæ, boli armeni an. ʒ. i. dictami. ʒ. ii. tormentillæ. ʒ. i. s. acetosæ. ʒ. iii. misce & in subtilissimum puluerem redigantur, sumaturq; vel cum aqua acetosæ, vel rosacea, & modico vini odoriferi. Quod si ex dictis vis antidotum componere, coque sirupum ex acetositate citri ad mellis spissitudinem, & in qualibet libra sirupi pone. ʒ. vi. dicti pulueris bene miscendo, de quo possunt sumi. ʒ. ii. & quatuor mane, quod etiam ægrotantibus datum confert. Possumus ex prædictis pulueribus scilicet, terræ sigillatæ, boli armeni, tormentillæ, dictami, acetosæ, cum saccharo confectionem facere in rotulis, ponendo in qualibet libra sacchari dissoluti ad ignem cum aqua rosacea. ʒ. x. pulueris, quarum rotularum vna aut duæ possunt comedi mane aliquot horis ante cibum. Sed animaduerte quod confectio siue electuarium ex ligno Indico & passulis, quo cum multos patientes morbum Gallicum sanaui, est præseruatiuum mirabile à febre pestilentiali. Quod, electuarium de passulis, in libello de

morbo gallico appellaui, & conficitur sic: Recipe ligni indici in subtilem puluerem redacti & per cribrum purgati. ℥. i. s. infundatur in tanta aquę buglossę quantitate, quantam lignum ipsum ex sę per noctem infusum sugere possit, ita, vt tota aqua in ligno imbibita sit, deinde adde pulpam passularum per setaceum cribrum extractam ad quantitatem. ℥. iii. ex quo sumatur bis in die videlicet ante prandium & cœnam tribus aut quatuor horis, etenim est medicina mirabilis in exiccando malas humiditates corporis, mundificat sanguinem, & corroborat cor, & est ponenda inter medicinas bedoarticas, vt verbo arabo vtar. Quod quidem antidotum potest etiam ita componi: Recipe ligni indici in puluerem redacti & per cribrum purgati. ℥. ii. sacchari rosati, buglosati an. ℥. i. syrupi rosati solutiui, syrupi de acetositate citri, succi rosarum puri an. quantum satis est, misce & fiat ex eis electuarium, & ex eo sumatur mane & vesperi scilicet ad quantitatem vnius vnciæ. sunt etiam præter hæc antidota solutiua & non solutiua experta, inter quæ est antidotum sexcenties expertum Venetiis à domino Iacobo Ricio medico, publico stipendio conducto, à Dominis Salutis, qui adhuc viuit, & infinitos præseruauit tempore epidemiæ isto electuario, dum morbo pestilenti laborantibus in Lazareto mederetur, cuius compositio talis est, Recipe specierum diamusci, Diarodonis abbatis, tria sandalorum an. ʒ. ii. ossis ex corde cerui, coraliorum rubrorũ, coraliorum alborum, florum rorismarini, rosarum damascenarum, sandalorum rubrorum, sandalorum citrinorum, seminis ocymi, seminis citri an. ʒ. i. rheubarbari electi. ʒ. ii. cardi benedicti. ℥. s. fragmentorum ex gemmis margaritarum an. ʒ. iii. seminis perforatæ, seminis ocymi gariofilati, zedoariæ an. ℥. i. ligni aloes, spicæ nardi an. ℥. i. diagridii. ʒ. i. croci. ʒ. iii. omnibus in mortario in puluerem redactis, ac cum conserua rosarum, florum buglossæ, boraginis & violarum, & theriaca, & trifera persica, & electuario diaprunis solutiuo an. partes æquales, redigantur in formam electuarii, ex quo detur ℥. i. & plus minusve secundum suscipientis virtutem, nam soluit ventrem sine molestia. Et nemo hanc medicinam sumpsit, qui à febre pestilentiali præseruatus non fuerit, multi etiam infecti cum apostematibus malignis in emunctoriis & carbunculis ex assumptione dicti electuarii liberati sunt. Quod si id electuarium non solutiuum facere desideras, ita vt præseruet corpora non repleta, compone illud amoto rhabarbaro, diagridio, & diaprunis solutiuo, ex quo sumatur mane quatuor horis ante prandium quotidie vel interpolatis diebus. ℥. s. attamen tempore calido cum eo sumatur

aqua acetosæ, vel alterius herbæ infrigidantis, & corroborantis cor, vt est aqua rosacea. Præterea idem dominus Iacobus utitur etiam ad præseruandum hoc puluere, quo cum multos præseruauit in ipso hospitali Lazareti, cuius compositio est ista: Recipe gentianæ, dictami albi, mastiches, spicæ nardi, euphorbii, corallinæ, tormentillæ, terræ sigillatæ, boliarmeni, coraliorum rubrorum, coraliorum alborum, gariofilatæ, centaureæ, sandalorum rubrorum, ossis ex corde cerui, zedoariæ, camphoræ an.ʒ.i. misce & fiat ex eis puluis subtilissimus, de quo sumatur mane.ʒ.i. & plus minusve temporis & corporis habita ratione, & hoc cum aqua acetosæ, vel vino, in quo decocta sit acetosa, vel borago, aut cum aliis aquis iam dictis, ex eo sumatur interpolatis diebus, quoniam est medicina experta, quæ datur etiam ab ipso Domino Iacobo in principio febris, ea tamen cum sit calida mihi suspecta est, ipse vero dat audacter experientia confisus, sed inter medicinas solutiuas, quæ in vsu sunt, est trifera persica, sæpe dicta, ex qua bis in mense.ʒ.i. vel plus minusve secundum assumentis valetudinem accipiatur, nam non solum præseruat, verum etiam data patientibus, cum sit medicina educens materiam venenosam malignam, sanat, quoniam euacuata materia, febrilis calor cessat; sunt & aliæ quamplurimæ medicinæ ab antiquis scriptæ preseruantes, inter quas vt dixit Auicenna prima quarti cap. de Præseruatione à febre pestilentiali est algeneabin, seu, vt quidam volunt, conserua rosarum facta ex melle & saccharo ex qua sumatur quotidie ab.ʒ.s. vsque ad.ʒ.i. nam roborat stomachum, cor & cerebrum, & humorem à putrefactione liberat si cum portione vini odoriferi & aquæ rosaceæ vel acetosæ sumatur. Præterea omnes medicinæ, quæ vermes interficiunt sunt præseruantes à peste. Ego enim plurimos vidi patientes febrem pestilentialem euomere vermes, & etiam per secessum cum egestionibus eos emittere; vermium autem generatio arguit maximam humorum corruptionem, quare si dantur ea, quæ vermes occidunt, est mirabile præsidium, quoniam illis euacuatis, euacuatur etiam putrida materia, quæ parata est suscipere vlteriorem malignitatem; occidentia vero, & educentia vermes sunt multa, scilicet aloes, agaricus, rhabarbarum, & similia; sunt etiam frigida quædam quæ vermes interficiunt non soluentia ventrem, vt est semen acetosæ, portulacæ; sunt etiam quædam alia calida vt semina citri, & alia, quare eis vti quispiam potest solis, vel cōmistis secundum opportunitatem. Nota tamen quod occidere vermes, & eos extra corpus non educere maximnm malum est, cum mortui corrumpantur, & putridi vapores ab ipsis excitati

sæuissima accidentia causent: quare non solum eos occidere studendum est verum etiam extra ventrem per secessum educere oportet. Neque tempore epidemiæ faciendum est, vt vulgares bibuli faciũt qui vina vinosa copiose bibunt, confirmantes vinum magnum interficere vermes, quoniam sic corpus inflammatur & præparatur ad febrem, neque ex toto vinum vinosum prohibeatur in tali tempore, quoniam in modica quantitate optimum est miscere ipsum rebus debilibus cordi proficientibus, quare in omnibus prudenter agere oportet. Sunt etiam qui semel in hebdomada accipiunt sirupum cordis roboratiuum ad præseruandum, qui talis est: Recipe corticum citri, buglossę, boraginis, caryophyllatæ, melissę, hepaticę, prassii, acetosæ, cicoreæ an. manipulum vnum, seminis scariolæ, acetosæ, peponis, cucurbitæ, citruli, cucumeris, an. ℥.s. radicum capparis. ʒ.iiii. sandalorum rubrorum, spodii. an. ʒ.iii. senæ, polypodii, thymi, epithymi, an. manipulum. i.s. rhabarbari electi. ʒ.iii. succi absinthii, fumiterræ, ebuli, plantaginis, an. ℥.s. myrobalanorum chebulorum, citrinorum an. ʒ.i. Decoquantur omnia quæ decoquenda sunt, in aqua buglossæ, & acetosæ & facta expressione adde sacchari libras. ii. & fiat sirupus secundum artem, & postremo dum fit ichor citri cõmisceatur, ex quo detur mane. ℥.i.s. vsque ad duas. Hic vero sirupus non solũ præseruat, verum etiam datur patientibus febrem pestilentialem, & confert, quoniam euacuat materiam venenosam & recreat virtutem, quare est medicina angelica & benedicta. Possem multa alia quæ à grauissimis doctoribus laudantur scribere, quæ cũ sint in eorum libris semper parata, & data occasione vnusquisque possit ea selegere, veluti ex maximo medicorum thesauri aceruo, ne longior essem prætermisi. Attamen in pauperum gratiam & commoditatẽ qui non possunt theriacam & alias preciosas medicinas emere, quędam simplicia, præsentanea, & inuentu facillima hic in calce addere volui, quæ sunt hæc, in primis comedant herbam acetosam iam dictam, scabiosam etiam & calendulam quæ maxime mulieribus confert cum præter veneni rectificationem prouocet menstrua & sudorem etiam, pimpinellam etiam comedant vel bibant succum eius aut aliarum mane quoniam præseruat & curat. Sunt & herbæ calidiores quæ si comedantur præseruant, vt est prasium hyssopus, hypericon, enula vtraque, verbena, dictamum præsertim cretense, eæq; omnes herbæ singulæ possunt sumi virides & exiccatæ ac in puluerem redactæ, vel alio quouis modo mane, cum vino aut aqua buglossæ, & portione aceti. Vnum tamen præterire nolo videlicet comestionem limonum & citrorum, tam illorum succi quam corticis &

ſeminum, per ſe vel in cibariis, non ſolum præſeruare à febre peſtilẽtiali verum etiam ſanare habentes peſtilentialem venenoſitatem cũ cõtrarietate manifeſta, & etiam vt dicunt Arabes bedoartica, quare, & diuites & pauperes ipſis vtantur præſertim limonibus, cum ſint apud nos in copia: ſint præterea memores pauperes multarum rerũ hincinde in præcedentibus dictarum vt eſt compoſitio ex ruta, nucibus, & ficubus, quæ theriaca pauperum eſt, & ſecundum opportunitatem ipſis vtantur. ego vero hic quædam in epilogi modum annotaui, non tamen omnia, cum hæc ſatis ad præſeruationem ſcripſiſſe putaſſem, tametſi multa à ſapientibus experta & bona ſcripta ſint, equidem ea tantum ſelegere volui, quæ nobiliora & expertiora, rationiq; conſentanea ſunt, & ea qua potui breuitate annotare, multa etiam repetendo vt legentes excitarem. Et quoniam in magnis peſtilentiis viſi ſunt homines illico rapi & perire & ferè horæ momento mori, quod non alia ratione fit, niſi quia aer ad vltimam malitiam redactus fuit, & etiã corporis parata fuere ex cauſis in primo tractatu dictis, ideo cum videris multitudinem hominum cuiuſcunq; ætatis complexionis, & ſexus repente perire præſtantiſſimum remediũ eſt procul ab huiuſmodi loco abire, & optimum aerem quærere cũ difficillimum ſit vltimam malitiam aeris corrigere. De illa vero peſte irreparabili cum vt aiunt theologi à voluntate Dei proueniat nihil dicam, non enim ignis de cœlo extinguitur aqua, quare ipſum Deum precibus & humili corde placare oportet, vt nos non ſolum ab hac labe, ſed à quocunque malo liberare dignetur. Medicus vero, qui ægrotantes videt, & tangit, caueat, atque cautus ſit, neque ſine præcautione eos videat, quare primum habeat odoramenta & lauacra, in quibus ſint bene redolentia & acetum, neq; multum cum infectis maneat, ſitq; nitidus, parce comedat ex iã dictis cibariis, parceq; bibat, procuret etiam vt venter quotidie fluat, accipiatq; ex pilulis Ruffi, aut ex aliis præſeruantibus; dormiat horis congruis & poſtremo ſit lætus animo. Quod ſi multos videre ſibi neceſſarium ſit, ac inter infectos verſari, vt contingit illis, qui publico ſtipendio infectis medelam præſtant, optimum præſidium ad præcauendum erit facere iam dicta cauteria cruribus, quæ fontanellas vocãt, habeantq; ſemper aliquid in ore reſiſtens peſtiferæ malignitati.

De præſeruatione à febre peſtilentiali ſeparando homines infectos a ſanis. deq; cognitione corporum infectorum tam viuentium quam mortuorum. Cap. 9.

PRæſeruatur præterea ciuitas, plebs, ac ciues & nobiles à contagione peſtifera, ſi ægrotantes & infecti ab ipſa ſeparentur, &

ad superius dicta hospitalia mittantur, ne cum sanis negotiantes, aut aliter se commiscentes, eos inficiant, igitur cum suspicio de pestilentiali contagione est ita, vt, sicut superius dixi, ægri moriantur, visitationes denegandæ sunt ne huiusmodi contagio vlterius procedat. Domini etiam Prouisores Salutis procurent diligenter per ministros corpora mortuorum inspici, & ex signis num quid mortua sint febre pestilentiali nec ne cognosci, præsertim illa, quæ breui tempore, aut subitanea morte moriuntur, quoniam cum aeris inclinatione cita vel subitanea mors est certum pestiferæ febris signum. Primum igitur cum medicus vel minister aliquis hæc corpora mortua viderit interroget eos, qui ante mortem cum ægro fuerunt, quot dies ægrotauerit, & quæ nam fuerint accidentia in tali ægritudine scilicet an inquietudo fuerit, vel nigredo linguæ, aut vomitus, & difficultas deglutiendi, vel sudores frigidi, & deliria, nunquid etiam aliquod tuberculum extiterit, vel in inguine, aut sub alis, vel post aures, vel in aliis partibus corporis, nunquid etiam viderint maculas, quas pestichias vocant, aut morbillos, aut variolas, quod si plura ex istis, aut aliqua, vel omnia apparuerint, corpus illud mortuum esse febre pestilentiali procul dubio dicere oportet; Si autem æger eos, qui ipsum ægrotantem iuuerint, non habuerit, ita, vt præterita accidentia minime sciri possit, & quis an febre pestilentiali mortuus sit scire voluerit, primum iubeat à ministris inspici post aures, & sub alis ac in inguinibus nunquid sit aliquis tumor, videant etiam reliquas partes corporis, nũquid sint tubercula quædam parua & aliquando magna quæ carbones vocant, videant etiam in dorso & aliis partibus corporis nunquid sint maculæ vel rubræ vel nigræ aut alterius coloris vt supradictum est, sint ne etiam paruissimæ in modum morsus culicum præsertim in regione cordis, & an cutis maculata sit & diuersa appareat in colore, scilicet plumbeo, & liuido hinc inde, & nunquid maculæ ac si uelatę siue coopertę essent appareant, aut sit in dorso nigredo & hyppochondria tumida in modum tympani sint, quæ omnia & singula corpus illud pestifera febre mortuum fuisse arguunt, attamen non omnia semper, aut vt plurimum, apparent, sed aliqua. Et quoniam sæpe homines quidã sunt nigri, vt sunt Aethiopes, & alii serui morientes ex tali febre, in quibus aduertere oportet nunquid præter humores, & alia quę ad calorẽ spectant, videãt pestichias siue maculas lenticulis similes sępe rubras et aliquando albicãtes. Præterea in cadaueribus mortuis vidẽdæ sunt extremitates, puta vngues tã manuũ quam pedum, & etiã aures & nasi extremitatẽ, ac

bursam testiculorum, siue scrotum dixeris, quoniam hæc omnia in mortuis vt plurimum liuescunt, præsertim si febre pestilentiali mortua sint, in his enim horrenda aliquando est liuiditas. Quare sic diligenter inquirendo deueniunt in cognitionem corporum mortuorum à febre pestilentiali, & iis quæ dicta sunt malam aeris coinquinationem coniungendo sine hæsitatione talia corpora contagione pestifera mortua esse iudicare oportebit. hæc tamen corpora non debent medici & ministri prope inspicere, sed procul ac per infectos aut suspectos ministros hæc omnia sciant. Et quoniam, cum populatur pestis præsertim plebeos, optima est præseruatio ne huiusmodi febris sanos arripiat, ideo ægrotantes separare, vt dictum est, à sanis oportet, ne cum illis negotiantes inficiantur, igitur fiat inquisitio ægrotantium per ministros. Et si cum eis loqui possunt, ab eis sciscitentur quæ sequuntur, sin minus per domesticos inquirant. Primum nunquid æger passus sit die prima aliquid frigoris, quoniam sæpissime in motu materiæ venenosæ tametsi intra venas putrescat, calor contrahitur & apparet frigus quoddam; Nunquid etiam calor patientis vehemens sit, & inquietudines multæ ita vt consistere nequeat, sintque alienationes, insomnietates, vel somni profundi, syncopis, sudores frigidi, & alia sępe dicta accidentia; Nunquid præterea tumor aliquis paruus, magnus'ue apparuerit à principio, tametsi non prosequutus sit, vel in inguine vel sub alis, aut in collo post aures; Denique iubeant linguam exerere, quæ si fuerit diuersis coloribus inspersa, scilicet rubra, nigra, & hinc inde alba, sintque quædam pustulæ præsertim in palato, signa sunt febris pestilentialis præsertim si facies patientis mutata fuerit, horrida, vel contracta, & oculi rubri, vel concaui, vel nimium igniti, & torui. Similiter iubeant inspicere vniuersum corpus, & videant nunquid sint maculæ, siue pestichiæ aut carbunculi. Vrinam etiam inspiciant tametsi sit signum fallax, quæ si fuerit turbida, liuida, vel alba ita vt neque ad ignem calefacta mutetur vt in nephreticis fit; Vel si fuerit lympida clara diaphana, & propemodum sine colore; Ista omnia sunt signa, quæ ægrum pestiferam febrem pati ostendunt. Attamen hęc omnia signa diuersificantur secundum diuersa anni tempora, quoniam in ęstate maculę & apostemata citius apparent, quàm in hyeme & aliis temporibus, cæteris paribus, ac magis in constitutione calida quàm frigida. Hac vero inquisitione diligenti facta, qui ægri sunt, mittantur ad hospitale infirmorum; qui autem sani sunt, sed cum ægris fuerunt, quoniam suspecti sunt, ad aliud hospitale mittantur; mortui etiam febre pestilentiali, sepeliantur pro-

cul á ciuitate, si fieri potest, ministri dum ista tractant habeant odoramenta sæpe dicta, præsertim acetum, quo cum lauent manus & faciem, & hæc de regimine, quo præcaueri potest á febre pestilentiali satis esse puto.

Procemium tertii tractatus qui docet curare febrem pestilentialem, secundum eius diuersitatem.

LAborauere antiqui omnes non solum in causarum febris pestilentialis cognitione, verum etiam in recta ratione curandi ægrotantes tali febre maligna. Etenim tanta est aliquando malignitas occulta venenosa non solum in humoribus, & spiritibus, verum etiam & in ipsa solida membrorum substantia, vt nullis medicaminibus aut regiminibus corrigi possit, vnde sæpissime pereunt ægrotantes absq; vllo euidenti signo in pulsu & vrina, & aliis, quare animaduertens hoc doctissimus Auicenna dicebat in hoc medicos hæsitare videntes homines sine vllo signorum mortis obiter aliquando perire. adsit igitur nobis adiutor Deus benedictus, qui solus languores sanat, & est via salutis & veritatis.

De cura febris pestilentialis, quam ephemeram vocant, quæ aliquando ad quartum vsq; diem exclusiue protenditur. Cap. 1.

SIt itaque in primis cura patientis febrem pestilentialem in spiritibus & vaporibus accensam talis in aeris regimine, qualis in præseruatione dicta fuit, scilicet in æstate locum siue cubiculum, in quo infirmus iacet, quadantenus refrigerando cum rebus bené redolentibus, vt est aspersio aquæ communis cum portione aceti, & aquæ rosaceæ, vel cum foliis & floribus, vt sunt folia salicis, vitis, rosarum, violarum nenufaris siue nympheæ, & consimilia, vel cũ aliqua decoctione in tractatu de præseruatione dicta, vbi omnia diligenter persequutus sum, quæ ad aerem in omni tempore rectificandum faciunt, qui omnino in quocunque tempore, frigidus magis desideratur, si ad febrem (quæ calor est) inspicias, aere igitur secundum opportunitatem alterato ad frigiditatem & exsiccationem considerata tamen patientis complexione, uirtute, ætate, sexu, anni tempore, & reliquis, patientis etiam ægritudinem secundum speciem cognoscere oportet, quod per accidentia propria & communia, & causas haberi potest. sit igitur talis modus inuestigandi febris ephemeræ essentiam, cum contagium fiat ab aere facile in spiritibus calor per inspirationem excitatur & cognoscitur, quia patiens

a principio calorem, nec magnum, nec mordacem, nec valde modũ naturalem excedentem habet, & pulsus exquisitè seruat naturalem modum in æqualitate, ordine, & mollicie, sed paulo maior est celerior, & frequentior. Vrina etiã digesta prima die apparet, neque in colore mutata. Attamen & si ista signa mitia sint, adest tamen intrinseca conturbatio & inquietudo ac anxietas, & facies paulo mutatur, quæ in oculis, vel rubentibus, vel aliter mutatis, & in naribus decernitur, vigilant etiam & nesciunt stare loco. Quæ febris si prima die cum aliquo leui sudore iu vaporis modum declinauerit ac nullum ex aliis malis accidentibus, in putridis euenire solentibus, apparuerit, tametsi primum diem petranseat ex genere ephemerę erit, quæ caliditatem in vaporibus & spiritibus accensam habet, ex qua multi pereunt non vi febris, sed sæuitia qualitatis pestiferæ, in cuius febris cognitione ignari non distinguentes febrem a febre, cum viderint accidentia mitia primis diebus, decipiuntur, dicuntq́ sine febre periisse. Quæ si quartum attigerit diem, in putridam conuertitur, de qua postea sermo erit, habita igitur febris notitia, ac præparato aere vt supra, cum refrigeratione & claritate, quoniam lumine & claritate, si quod nocuum intus fuerit, extramittetur, præsertim in principio niforte esset uirtutis imbecillitas ex uenenosa in spiritibus qualitate, hoc in casu cum lumen dissoluat non oportet multum luminis administrare, cibetur æger cibis refrigerantibus non expoliatis siccitate aliqua, qui tamen plurimum in pauca quantitate alant, neque sint vaporosi, sed sint facili s digestionis, vt est panis fermentatus, & pulli gallinacei cocti cum acetosis, vt est succus vuæ acerbæ, & succus limonum, citri, aranciarum, vinum granatorum, vel parum aceti & aquę rosaceæ, quoniam mire conferunt, cum prohibeant ne venenosa qualitas figatur, & febrili caroli resistant, detur igitur ex iure pulli alterato, vel aliarum carniũ, ut sunt carnes hœdinæ & vitulinæ, quæ alteratio potest fieri etiam bulliendo cum ipsis herbam acetosam, endiuiam, boraginem, & buglossam, aut earum radices, vel semina, portulacæ etiam aut scariolę, quę siue cuiusdam endiuię species, siue lactucę sit, non refert, nam conferunt vtraque cum infrigident & venenositati resistant; tempore tamen æstatis possumus grana uuæ acerbæ cum omnibus carnibus decoquere, & fit cibus gratissimus: coquantur etiam grana uuę uulgo dictæ crespinę, quę an sit ribes, Damasco familiarissimus, uel oxyachanta, disputare est extra propositum, cum neutra sit, sed alia a dictis: sed in præsentia satis sit scire uirtutes, quę sunt infrigidare & malignita-

ti venenosæ resistere, qui quidem cibus in quantitate sit secundũ virtutis tenorem, ętatem, consuetudinem, & alia, quoniam vt dicebat Hippocrates dandum est & ætati & consuetudini aliquid, ita vt si operæprecium fuerit non solum bis in die cibentur, sed etiam ter, et pluries. cibi tamen sint ex bene reficientibus in pauca quantitate, nã super omnia est intendendum virtuti, & qualitati pestiferæ. detur igitur vel panis coctus in iure (quem panatellam uocant) aut in ipso iure infusus, vel iusculum hordeaceum, siue ptisanam dixeris non refert. Quod vero dixerunt antiqui de lente non placet, vt etiam in regimine præseruatiuo dixi, cum sit cibus nocens stomacho, pectori, & capiti, ac ventrem astringat, sitq; mali chymi & pauci nutrimenti, si experientiæ, & Dioscoridi & aliis sapientibus credimus, neque video quo pacto præparari possit vt cibus laudabilis efficiatur. Quare dimissis lentibus, semper hordeaceam ptisanam dedi, in qua aliquid succi pomi medici, siue arantii, vel citri, aut limonis pono, & ita si virtus fortis est ægrum cibare consueui; neque omnibus carnes, & oua, vt multi faciunt, sine discrimine deneganda sunt, quoniam non omnes tenuem diætam tolerare possunt. ideo si maiori cibi quantitate indigeat æger, ouum contusum in iure cum portione aceti, vel alio acetoso dabis, dabisq;, si virtuti times portionem carnis, & contusum ex carne etiam. caue tamen ne nimis virtutem cibi quantitate adgraues, vt possit cõtra ipsum morbum, & causas agere, vinum vero nullo modo dare oportet, dico nullo modo quoniam auget febrem, & qualitatem pestiferam ad intima cordis penetrare facit, quod si aliquod potabile instaurans virtutem desideras, dabis aquam carnis in suis cibariis cum iure pulli admixtã, vel cum contuso ex carnibus pulli gallinacei, vel perdicis, aut phasiani vel etiam ex aliis carnibus, vt sunt carnes hœdinæ, & vitulinæ. Modũ etiam faciendi aquam carnis in cura febrium pestilentialium cum putredine humorum scribam; igitur potus sit ex illis, quæ refrigerant calorem febrilem, & resistunt qualitati pestiferæ, ut est aqua, in qua decoctũ sit hordeũ & semina acetosæ, vt refrigeret, & resistat, et sudorem prouocet, cui aquæ potest admisceri vinum granatorum, vel syrupus ex acore citri, & erit potus gratissimus: potest etiam in potu dari aqua endiuiæ, vel acetosæ & buglossæ, sublimata. Neque credendum est, vt quidam ignari ad pauca respicientes dixerunt, scilicet, in aquis per sublimationem factis nullam esse virtutem ipsarum rerum ex quibus fiunt, cum tamen attestante sensu contrarium appareat, nam aquæ florum & herbarum fragrantium & calesacientium, quæ fiunt per sublimationem habent

odorem,

odorem, & aliquando saporem suorum simplicium, vt liquet de aqua rosarum, & absinthii, & rutæ, ac aliarum herbarum, & florum, vt sunt flores citri, quorum aquam nansam vocant, idem etiam in destillatione vini manifeste apparet, cum huiusmodi aqua sublimationis vini habeat & odorem & saporem ac quasdam virtutes fortiores vino. Quod si dicunt dictas aquas paulo debiliorem habere virtutem, ac non ita fortem sicut decoctiones ex eis factæ, non tam male loquuntur, sed ob id non oportebat dicere nihil operari omnino cum optime operentur. Et possem equidem mille exempla adducere, quæ breuitati studens dimitto, sileant igitur, & cum maiorem virtutem desiderant, maiorem dictarum aquarum quantitatem propinent. Enimuero millies dolores colicos a materia ventosa sanaui potu aquæ sublimationis chamomillæ, & hyssopi, caliditatemq; febrilem potu aquæ endiuiæ cicoreæ & aliarum herbarum refrigerãtium, sed eo vnde discessi redibo, si etiam prius quandam inscitiam istorum ostendam. Dicunt enim aquas per sublimationem recipere malam qualitatem ab ipso vase plumbeo in quo destillatur, quæ ratio apud me nihil est, cum sit ad placitum potius quam ratione dicta, quoniam maior pars destillationis simplicium herbarum & aliarum rerum fit per cucurbitas vitreas, vt in tabernis destillantiũ, Venetiis omnibus patet. Quod si quis timet ne a vase plumbeo aliquam malam qualitatẽ recipiat si eo vtitur, poterit sublimare in vase vitreo, quem sublimationis modum magis laudo & est etiam in vsu. Dentur igitur aquæ dictæ destillatæ, aut etiam fiant decoctiones cum aqua communi & seminibus acetosæ, & endiuiæ, aut cum coriandris, in quibus aquis ponantur sirupi ad extinguendum calorem, & resistendum qualitati venenosæ, vt est sirupus ex limonibus, ex acore citri, ex ribes, rosaceus, oxisacchara, & similes. Vinũ ut dixi nõ detur, quoniam sæpissime, visum est ex eius potu pestiferos vapores excitari ad cor & cerebrum ita, vt vino epoto incidant in tremorem cordis, unde pulsus in brachio intercipitur, sudant sudore frigido resolutiuo, extrema infrigidantur, quod fit quia vinũ venenum ad cor penetrare facit, quod si ad caput vapores excitentur, vigilant, obloquuntur, surdescunt, aut aurium sonitum, & sibilum sentiunt, oculi rubent, dolet caput, & lingua denigratur. Quod si abhorrent a dictis aquis & decoctionibus, detur in potu ius parui pulli gallinacei, cum portione succi vuę acerbæ, vel cum modico vini granatorum, aut succi citri, uel aranciarũ, aut limonum, hi enim succi mihi magis placent. Vel fiat pro potu iuleb hoc modo: Recipe aquę acetosæ libram. i. buglossę, endiuiæ ana lib. s. rosaceæ. ℥. iii. vini gra-

natorum succi limonum an. ℥. ii. aceti. ℥. i. sacchari optimi libram. i. s. misce & fiat iuleb, & detur in potu quoniam erit gratũ gustui. Vel fiat iuleb ex aqua fontana & portione tertia succi citri vel limonis & saccharo secundum artem, quoniam suauis est potus. Quidam dant aquam hordei ad potandum in qua sæpe extinguunt laminas aureas ignitas: dicunt enim resistere veneno & corroborare stomachum, caueant tamen, ex documentis Galeni & principis Auicennę, admiscere aquam hordei cum sirupo acetoso, ne fiat corruptio in stomacho. Horæ uero comedendi sint horæ, in quibus æger minus anxius est, quod si æqualiter affigatur, sit hora frigidior diei nimirum mane, quod si hora ista sit hora consueta cibandi dum sanus est optima erit, similiter & in cœna seruanda est hora, uel minoris affictionis, uel consuetudinis, aut frigidioris partis, in uespere inter prandium & cœnam semper aliquid dandum est ex illis scilicet, quæ roborant virtutem, & calorem febrilem extinguunt, vt sunt potus superius dicti, vel aliquod electuarium ex suprascriptis tractatu de regimine pręseruatiuo, uerbigratia ut omnia præ manibus habeas, Recipe sacchari rosacei, buglossacei, boraginacei an. ℥. i. s. coraliorum rubrorum, margaritarum, fragmẽtorum ex gemmis, smaragdorum, boli armeni orientalis, terræ sigillatæ ana ʒ. i. sirupi ex acetositate citri quantum satis est, fiat mistura & inauretur, ex qua patiẽti sæpe detur inter prandium & cœnam & in nocte etiam. Pauperibus detur bolus armenius noster præparatus, ut docui supra de regimine præseruatiuo, cum quo detur aqua rosacea cum portione sirupi acetosi, & hoc bis aut ter in die ad quantitatem. ʒ. ii. uel pluriũ. Et quoniam in huiusmodi febre mala læditur cor vel prima die, vel in processu, ideo optimũ erit, cibis & aliis cor instaurare, quare primũ exterioribus partibus cordi uicinis applicetur epithema, uel vnguẽtum, aut sacculus cordis recreatiuus tametsi nullum appareat signum nocumenti cordis, quoniam ex cor roborantibus ipsum redditur fortius ad resistẽdum malignitati pestiferæ. Caue tamen epithemata humida applicare si maculæ apparent, & in principio, ut sunt unguenta & epithema ex aquis cor reficientibus, sed esto contentus sacculis, uerbi gratia, Recipe specierum cordialium temperatarum. ℥. ii. seminum citri, florum buglossę, boraginis, rosarũ Damascenarũ ana ʒ. i. s. misce, & pone in panno serico purpureo, & fiat sacculus, quod si febrilis calor ardentissimus fuerit, addatur camphora et sandalus; caue tamen in aliquibus mulieribus ponere odoramenta, ut est moschus & similia, ne in præfocationem matricis eas inducas, quare in talibus ponendæ sunt res cor reficientes sine odore acuto, sacculum uero

ſub mamilla ſiniſtra ſæpe repones. Quod ſi cum unguento tutius cor recreare tibi uiſum fuerit, fiat cum iſto, Recipe olei roſacei, uiolacei, nenupharini, ſucci bugloſſę, boraginis, ana ℥.ii. ſpecierũ cordialium temperatarum, ſandalorum rubeorum, ſeminum citri ana ℈.i. aceti parum, miſce & fiat unguentũ, & unge ſæpe ſub mamilla ſiniſtra, epithema etiam ſi tibi ſecure apponi poſſe uidetur, ſit tale: Recipe aquarũ bugloſſæ, boraginis, acetoſæ, roſaceę, violaceæ ana. ℥.iiii. ſpecierum cordialium temperatarum. ℥.ii. vini maluatici, aceti albi ana parum, miſce, & impone pannum ſericum purpureum, vel ex lana ueteri quod tepidum ſub mamilla, ut dictum eſt, ſiniſtra applicetur. Pro mulieribus tamen patientibus matricis præfocationem ponantur ſpecies cor reficientes ſine odore, & quoniam epithemata & inunctiones ex ſentẽtia principis Auicennæ cap. de cura uariolarum & morbillorum ſunt ſuſpectæ, quod etiam rationale eſt cum faciant ad penetrationem & poros exterius claudant aliquo modo, ideo conſilium meum eſt in cordis recreatione vti potius ſacculis. Et quoniam refocillatur cor cibariis etiã, & ſæpe in iſtis appetitus & uoluntas cibandi infirma eſt, & aliquando ex toto deſtructa, ideo tales cogendi ſunt ui ad ſumendum cibaria, ne uirtus ex defectu alimenti pereat, corq́ languidum fiat. Nam præcipue in peſtilentiali febre uirtutem cuſtodire oportet, & ideo illi vt plurimum a febre hac euadunt, dicebat Auicenna, qui uiriliter agunt & comedunt, & ut comedant mutentur aliquando cibaria, vt ſi abhorreat a iuſculo hordeaceo, detur panatella cum ſeminibus melonum, ſiue peponum dixeris non refert, vel ouum contuſum cum ſuo albumine in iure pulli cum ſucco vuæ immaturæ, vel panis in iure infuſus, aut far, vel aliquod, ex ferculis laudabilibus, in quibus ponantur redolentia & grata guſtui, vt eſt aqua roſacea, ſuccus aranciarum, vel citri, vel limonum, aut trazea cum gemmis & margaritis, vel trazea ſandalina. Quod ſi ſemel idoneam quantitatem cibi pro virtutis cõſeruatione minime ſumere poteſt, detur pluries in die, ut puta ter vel quater, pro ut operæpretium erit, cibi vero ſint, vt iam dictum eſt, qui in pauca quantitate optime nutriant. Neque attendendum eſt quorundam nebulonum opinioni dicentium in peſtilentialibus febribus, cum ſint acutæ, carnes non conuenire, nam hæc febris non ſimpliciter acuta eſt, ſed habet vnum aliud deterius acuitate, quod eſt peſtilentiale, & ideo eget cibariis virtutem inſtaurantibus, omnia tamen moderanda ſunt ſecundum ægri conſuetudinem, cum hoc tolerare non poſſit, qui non aſſuetus eſt comedere carnem, attendendum eſt etiam ætati, & anni tempori, tamen, cum virtus om-

nino custodienda sit, pone in ferculis coclearia duo, vel plura, aquæ carnis si deficit, vt cum minori quantitate cibi optime virtutem instaures, & etiam ad clarificationem spirituum cordis cum ipsis ferculis vel aliis medicinis detur puluis hoc modo compositus: Recipe fragmentorum gemmarum præparatarum, margaritarum, coraliorum rubeorum ana. ʒ. i. foliorum auri puri, quæ sunt ex auro subtilissime malleo extenso ita, vt aranearum telis subtilius sit, misce & fiat puluis subtilissimus, & da ℈. s. patienti pauperibus vero da succum limonum vel citri, aut semina eorum tam in prandio quàm in cœna semper tamen ante cibum mane scilicet & vesperi perfricare crura & brachia ad reuocandum materiam & malos vapores ex centro ad circunferentiam, vel vt rectius dicam a partibus nobilioribus ad ignobiliores optimum est, quod si nimia apparuerit inquietudo, tũc vt caliditas intus inclusa ex toto ad exteriores partes euocetur apponendæ sunt cucurbitulæ per uniuersum corpus præsertim super spatulas & dorsum, & nates & coxas: quod si virtus tolerat, ætas, & alia, eas scarificare, seu incidere & sanguinem per eas extrahere præsentissimum est auxilium, tametsi caliditas febrilis non sit in humoribus accensa, nam vapores mali per vniuersum corpus sparsi, extrahuntur, sicq; virtus exoneratur, quæ fortior super residuũ redditur ad expellendum & interiores partes refrigerandum, sanguis uero extrahatur secundum virtutis, temperaturæ, ætatis, & reliquorũ tolerantiam. Notare tamẽ oportet melius euacuari sanguinem per ventosas vesperi, quam mane, ac luna existente plena quàm in nouilunio, cum sanguis sit istis temporibus magis ad exteriores partes expansus: attamen, cum periculum sit in mora, quacunque hora, vel tempore necesitas vocat ponantur & incidantur, fiat vero hoc vel ante cœnam vel ante prandium, subinde dormiat, etenim ex iis quę maxime virtutem instaurant, est somnus, quod si non dormierit nocte, dormiat mane, vel quacunque hora diei. At si ex nimia uaporum caliditate, & siccitate, uel malignitate priuetur somno, studendum est omnino ut dormiat, & hoc fiat primum cum odoratis, ut sunt flores, uiolarũ, nenupharis, papaueris, rosarum, uel decoctiones ipsorum factæ cũ aqua lactucæ, nenupharis, & melissę, & si ista non contulerint inungant frontem, & tempora, & sub nares, unguẽto populeone, & oleo nenupharino, uerbi gratia, Recipe unguenti populeonis. ʒ. i. olei nenufarini. ʒ. s. misce & unge post cœnam, aut in alia hora cum somnum inducere desideras, & hoc fiat sæpe, quod si isto auxilio non dormierit, poteris addere dicto unguento grana decem opii thebaici, & ungere. At si etiam hoc

nihil proderit ad alia fortiora transire oportebit ne virtus ex nimia vigilia & mala qualitate pestifera imbecillis fiat, & febrilis calor in humoribus incensus ad genus putridarum febrium conuertatur. Quare poteris dare sirupum ex papauere ad.ʒ.i.ex saccharo factum & est prima descriptio Domini Mesuę distinctionę sexta antidotarii post sirupum alKolac, de quo potest dari ad.ʒ.ii. & plus pro vt opus erit cum aqua lactucæ & nenupharis: quod si times nimis infrigidare, poteris apponere aquam melissæ, quoniam confert cordi & somnum conciliat, teste experientia & expertissimo Serapione, dabis etiam ad somnum conciliandum emulsionem seminum papaueris, cum ipsa panatella, vel cum iusculo hordeaceo & seminum, quantitas sit ab ʒ.i.vsque ad duas, vel detur lactuca ad comedendũ, quod si etiam his factis non dormierit, audent medici virtute & aliis consentientibus dare requiem Nicolai à.ʒ.i.vsque ad duas, & plus secundum necessitatem, quam duabus horis post cœnam dant, & apponunt emplastrum de lactucis capiti, vt dicam de cura accidentium insequentium has febres. Quod si minime dormire valeant, quoniam apostema calidum est in velaminibus cerebri, vel in eius substantia, aliter procedendum est, scilicet curando cura calidi apostematis, de qua suo loco, vbi de accidentium cura scribam, diffuse dicam. quare hæc satis dicta sint de custodia virtutis & de illis, quæ ad conciliandum somnum faciunt in febre pestifera ephemera ante quam ad putridam conuertatur, vt si ad ipsas transierit virtus ei possit obstare, cum semper sit contraria morbo, quam vt dicebat Galenus secundo Aphorismorum commento vndecimo instauramus tribus ingeniis, quorum primum fit humidis cibariis, secundum potu, qui celerius instaurat, sed multo celerius boni odores refocillare consueuere, & est tertium ingenium, addo equidem quartum ex sententia Auicennæ & est somnus, quoniam vt ex eius sententia patet virtutes omnes per somnum acquirunt fortitudinem.

Quare omnia ordine quodam hic scribere non sine ratione factum est cum ephemeram febrem curandi rationem ostendi, quoniam plurimos patientes ephemeram pestilentialem vidi, inter quos Gaspar Butasuogus fuit, qui anno illo infelicissimo. 1527. in contrata sancti Petri, passus est febrem vnius diei cum pestichiis & ab illo die citra non febricitauit, sudauitq; vsque ad septimum sudore rorido, sine aliquo accidenti malo pulsus vel vrinæ, aut aliorum ita bene in omnibus se habebat, scilicet bene dormiebat, & reliquas operationes, comedendi, egerendiq;, incolumes habebat, vt quidam medicus ausus fuerit dicere, quoniam febris non processit

neque ad putridam conuersa fuit, ipsam febrem non fuisse ex genere pestilentialium, tametsi prima die vna cum febre apparuissent maculæ rubræ per vniuersum corpus, quas pestichias vocant. Quibus visis ipsam naturam imitando apposui ventosas seu cucurbitulas dorso & cæteris partibus corporis leuiter scarificatas, & extraxi sanguinem subtilem vaporosum, residuū vero malignitatis natura per roridum sudorem propulsauit antequam humores inflammarētur. Et quoniam corpus plethoricum erat, dedi etiam pharmacū ex flore cassiæ ad vnciam vnam & semissem, quoniam tametsi febris hæc non sit humoralis attamen cū corpus plethoricū est aut cacochymū, plurimos & malos humores euacuare oportet, quoniam sunt putredinalis caloris subiectum. Et ne tædiosus videar, hæc satis sint pro exemplo dixisse, iam vero putridarum pestilentialium curam prosequar, in calce cuius regimen hecticarum scribam.

De cura febrium pestilentialium cum humorum putredine ac de ista, quæ cum solidorum membrorum inflammatione fit. Cap. 2.

Visa ephemeræ febris cura per id tempus, quod nondum ad humorum inflammationem conuersa est, curam putridarum febrium pestilentialium prosequar, quæ quidem febres cognoscuntur esse cum humorum putredine, ex caloris magnitudine modū naturalis temperaturæ excedentis, & ex vehementia, magnitudine, velocitate, frequentia, & diuersitate pulsus. quæ tamen non semper eodē modo sunt, vt in primo tractatu abunde dixi, ad quem redire oportet, si ea scire volueris, vbi etiam excrementorum, vrinæ. s. & intestinorum secum aliorum accidentium distincta signa exposui. Quibus habitis ad vniuersalem curam eo procedendum erit ordine, quo superius processi, aeris scilicet moderatione, exiccando & in aliis similiter, præsertim correctione pestiferæ qualitatis & virtutis instauratione, ac febrilis caloris extinctione, materiæq; putridæ euacuatione, quæ debet fieri secundum humorum putrescentium naturam, & ipsorum abundantiam, ac crassitiem, lentorem, & subtilitatem, & hoc cum illis, quæ respiciunt qualitatem pestiferam & roborant cor. Et in primis quacunque hora vel die ad ægrum accesseris, si maculæ seu papulæ, quas pestichias vocant cuiuscunque fuerint coloris in dorso pectore & aliis partibus corporis apparuerint, præmisso clystere ventrem leniente, appone cucurbitas, siue ventosas super dorsum & nates & alias partes corporis, vt sunt coxæ & inguina, quas scalpello siue sagitella scarificabis ita, vt sanguinem secundum ægri virtutem euacues, hoc enim est mirabile auxilium & incomparabile, quoniam attrahit venenum ad igno-

biliora membra, quæ quidem ventosæ si apponantur etiam non apparentibus maculis in tali febre optimum erit consilium, scio etenim, & etiam superius sępe dixi, materiam putrescentem in febre pestilentiali vt plurimum & pro maiori parte esse cholericam, siue biliosam, ac etiam sanguineam, attamen & phlegmatica, & melancholica esse potest, & cum aliis diuersimode admista, tametsi raro prædominetur humor phlegmaticus aut melancholicus, & raro etiam ex simplicium humorum putredine fiant febres. Neque ex superius dictis te credere volo febrem pestiferā à principio semper esse ephemeram, cum à putredine humorum vt plurimum fiat etiam à principio, febris hæc igitur corpore plethorico existente statim in primis diebus, cum sit ægritudo acuta, euacuatione cita præter regimen in aliis, indiget, nam in talibus dicebat Hippocrates differre malum est, neque expectanda est digestio, siue concoctio, cū materia venenosa turgeat, & nesciat stare loco, ac membra principalia repat, suamq; venenositatem illis communicet. Euacuetur igitur euacuatione minoratiua secundum diuersitatem materiæ, nam si materia fuerit sanguinea & in principio ægritudinis, scilicet ante quartam, nulla macula, aut papula ex iam dictis, vel apostema, aut tuberculum aliquod apparuerit, virtute, ætate, complexione, anni tempore, & aliis etiam consentientibus, & temperatura non sit diuersa a sanguinea, aut saltem non sit omnino sine conditionibus sanguineæ, neque sit in diebus canicularibus, aut maximi frigoris, & patiens etiam de stomacho non conqueratur, tunc præmisso clystere leniente, si venter non sponte expurgetur, aperiatur vena dexteri brachii (quam basilicam uocant siue iecorariam) & extrahatur sanguis secundum necesitatem plenitudinis, & virtutis constantiam. Quod si sanguis clarus & rubeus extiterit, claudenda est vena, neque eum exire permittere oportet, ne virtus dissoluatur, quoniam vt dictum est, in tali febre semper de virtute soliciti sumus. At si sanguis malus est dimittatur exire ad quantitatem sex vel septem vnciarum, vel etiam plurium pauciorumve secundum rei indigentiam, quo facto quiescat duabus horis, deinde accipiat prandium ex illis cibis, qui in pauca quantitate optime nutriunt, quod si necessitas cogat, potes etiam vesperi venam ante cœnam incidere, & sanguinem euacuare, quod si ex emissione sanguinis timueris ne bonus euacuetur sanguis, & malus remaneat, abstine omnino ab eius euacuatione, & loco ipsius pone ventosas cum scarificatione, sed si ex ipsa sanguinis missione times motum materiæ ad caput, vel os stomachi, da post venæ apertionem subito hunc siru-

pum, Recipe sirupi de succo acetosæ. ℥. i. rosacei. ℥. s. aquarum acetosæ, buglossæ an. ℥. i. s. misce, postea accipiat prandium vt dictum est. Præterea sequenti mane detur medicamen euacuatiuum humorum aliorum à sanguine, verbi gratia, si signa ostendunt aut dominium, aut mistionem choleræ: Recipe floris cassiæ, mannæ electæ an. ℥. i. trypheræ Persicæ. ʒ. ii. fiat bolus cũ saccharo, vel fiat potio cũ aquis buglossæ & acetosæ, quantum satis est, vel cum decoctione vnius vnciæ tamarindorum in aquis dictis, quo assumpto per horam post sumat cibum qui sit, vt superius dictum est, boni nutrimenti & paucæ quantitatis, potus etiam, in præcedenti capite dictum fuit, qualis esse debet, quare detur ille. At si materia non fuerit exquisitè sanguinea & cum conditionibus superius adnotatis, sed pro parte sit sanguinea, & aliæ conditiones non consentiant, pone ventosas vt dictum est, quoniam tutius est sic procedere, timorosum est enim sanguinem in tali febre per venæ apertionem euacuare, præsertim per venæ basilicæ incisionem, ipsa nanque primum à ventriculo cordis dextero educit, & eum spiritibus depauperat, quare iterum ventosæ cum scarificatione apponimus, quoniam per huiusmodi impositionem fit meatuum apertio, & alleuiatio naturæ diuertendo sine resolutione, ita, vt in quacunque ætate, sexu, complexione, & anni tempore secure, & intrepide apponi possint, & quantitas sanguinis sit secundum ægri virtutem & multitudinem materiæ, hora vero sit ante cibum, siue mane, siue vesperi apponantur. Præterea conuenit residuam materiam alterare refrigerando & qualitati venenosæ resistendo, ideo detur quotidie mane & vesperi ante prandium & cœnam, per duas horas saltem, hic sirupus: Recipe sirupi ex acetositate citri, rosacei an. ℥. i. aquarum buglossæ. acetosæ an. ℥. ii. misce & detur frigidus præsertim si sitis valida fuerit, neque aliquid aliud prohibuerit. Quod si materia admista fuerit, neque calidorum humorum maximum excessum ostenderit, sed ambigua permistio appareat, euacuetur isto euacuatiuo leni respiciente materias communes, quæ vt plurimum in stomacho, & viis communibus reperiuntur. Recipe floris cassiæ. ℥. i. diacatoliconis. ʒ. s. trypheræ Persicæ. ʒ. ii. misce & cum saccharo fiat bolus, vel fiat potio cum aqua buglossæ, acetosę, & lupulorum, deturq; per horam ante cibum, quod si virtus sit imbecillis, vel ætas non toleret, detur in minori quantitate. Ego vero si fieri posset. s. si virtus consentiret & reliqua, vellem non solum à principio diminuere materiam, sed eradicare ipsam cum venenosa sit, non tamen cum medicinis fortibus vt placuit Gentili, quare consilium meũ est

apponere cum ipsa cassia maiorem quantitatē tryhperæ persicæ, quę describitur à diuo Mesue distinctione tertia antidotarii, detur igitur. ℥.i. triferæ, & semis floris cassiæ. At si ex signis vehementis inflammationis interiorum membrorum multitudinem calidorum humorum, subtilium etiam, cognoueris, & eos euacuare volueris, tunc cum ipsa cassia optimum erit ponere æqualem portionem mannæ (quam rorem syriarum uocant) non prætermissa triphariа persica; signa, quæ vehementem caliditatem intrinsecam ostendunt sunt hæc, caliditas circa partes pectoris, velocitas & frequentia pulsus, ariditas & nigredo linguæ, sitis inextinguibilis, vigiliæ & alia. Notare tamen oportet vt superius dictum est, tametsi hæc febris vt plurimum sit latens, turbans intus, & extra quieta, hoc non esse perpetuum, sed secundum diuersitatem mineræ, & materiæ, nam si minera cordi longinqua est, à principio non sunt accidentia fortia, at si propinqua est tunc a principio fortia sunt; quæ etiam accidentia sæua fiunt ex materiæ natura, præter pestiferam malignitatem, puta cum cholera est subtilis per admistionem phlegmatis subtilis, quam citrinam vocant, ad cuius putredinem fit caliditas vehemens, dolor capitis, insomnietates, sitis valida & alia, vel cum melancholico humore admista, & dicitur cholera minoris famæ, vel quouis alio modo, præter admistionem phlegmatis crassi, ex qua fit cholera illa maioris famæ, quam vitellinam vocant, tametsi Galenus secundo de Potentiis naturalibus dixerit choleram vitellinam fieri etiam ex adustione choleræ naturalis, quæ quidem cholera sic per viam adustionis facta non est ita crassa sicut illa, quæ fit ex phlegmatis naturalis admistione, immo est magis rubra & calidior, similiter & alias admistiones & alterationes in humoribus putrescentibus cognoscere oportet, vt in euacuatione ipsorum a principio, recte addere possis ea, quæ naturam humoris vel admistionis respiciunt. Verbi gratia si materia fuerit cholera vitellina ex admistione phlegmatis naturalis cum pestilentiali qualitate purgetur sic: Recipe floris cassiæ. ℥.i. triferæ persicæ. ℥.s. fiat ex eis bolus cum saccharo siue zuccaro dixeris non refert, vel fiat potio cum aqua buglossæ & acetosæ, aut cum aliqua decoctione facta ex hordeo, passulis, glycyrrhiza, floribus buglossæ, boraginis, & seminibus citri, in aquis buglossæ boraginis & acetosæ, quod si cholera fuerit illa, quam citrinam vocant, addatur mannæ in æquali portione, & dissoluatur cum decoctione communi, quæ fit sic: Recipe tamarindorum passularum, hordei, glycyrrhizæ an. ℥.s. prunorum numero vi, sebesten numero, x, florum, violarum, boraginis,

buglossæ an.ʒ.i. seminum citri, acetosæ an.ʒ.iii. aquarum buglossæ, acetosæ an.ʒ.iii. bulliant secundum artem vsque ad tertias. Quod si materia putrescens fuerit cholera minoris famæ ex admistione melancholiæ, aut ex causa suæ substantiæ in se alteratæ, vtcunque fuerit, quoniam huiusmodi cholera minoris famæ longe deterior est ea, quæ est maioris famæ, magis soliciti sumus cũ signa choleræ minoris famæ apparent, quæ sunt caliditas mordacior, pulsus debilior & durior, quoniam sua malignitate debilitat & adustione exiccat, fitq; pulsus malus diuersus & interfectus, quod arguit maximũ cordis laborem, quoniam interponitur quies cum maxime cor defatigatur in sui refrigeratione, est etiam sæpe tremulus, quoniam dissoluitur virtus & membrum grauat ita, vt in eleuatione & depressione deficiat, sunt & aliqua signa, vt alienatio, nigredo linguæ, quæ ex superius dictis colligi possunt, sicut vrina subiugalis, sed fortiora secundum materiæ malignitatem sunt extremorum frigiditas, & annichilatio pulsus ad quæ sequitur mors. Notabis tamen quod non sunt necessaria omnia signa, sed sæpe sufficiunt quædam, & aliquando vnum, aliquando duo, & aliquando plura, pro vt materia in malignitate diuersa, membra principalia occupat, isti igitur purgentur, verbi gratia sic: Recipe floris cassiæ, electuarii lenitiui an.ʒ.v. trypheræ Persicæ.ʒ.iiii. plus minusve secundum malignitatem materiæ, & fiat ex eis bolus cum saccharo, vel fiat potio cum aquis buglossæ, boraginis & acetosæ vel cum decoctione communi superius dicta, & sumatur quinque horis ante prandium, nam sic componendo euacuatiuum respicit vtranque materiam, tam secundum malignitatem pestiferam, quam manifestam, cum cholera minoris famæ sit diuersarum specierum & vt plurimum mala & venenosa sit vt est illa quæ adusta est, prasinam vocant, & illa, quam zinariam dicunt, de quibus abunde Galenus secundo de Potentiis naturalibus dixit, istæ vero choleræ cum sint malæ indigent appropriata & citissima euacuatione, ne imprimant cordi suam venenosam qualitatem, quare dum eam euacuare intendis permisce in euacuatiuo electuarium lenitiuum, quoniam euacuat materiam permistam malam & choleram minoris famæ adustam, quod quidem electuarium est, vt aiunt, magistrale, attamen quomodocunque fiat euacua cuatiuum, cum pestilentialem qualitatem timemus addenda est tryphera Persica, quæ non solum pestiferæ qualitati contrariatur verũ etiam materiam diuersę permistionis educit cum facilitate, ac in acutis sine molestia & irritatione operatur. Dico hoc quoniam medicinæ laboriosè quæ soluunt præter suam venenositatem agitant hu-

mores, qui cum de sui natura turgeant sæpissimè petunt membrum aliquod principale, vnde sequitur mors, & ideo non sine discrimine dantur medicinæ soluentes laboriose & scamoneatæ, præsertim vbi virtus non sit fortis, dicat Gentilis quicquid sibi placuerit: etenim plurimos vidi perire, qui acceperunt medicinas fortes, & sanaui cum debilibus multos. Dentur igitur ex superius scriptis, vel ex æquiualentibus secũdum necessitatem, verbi gratia detur Diacatholicon, descriptione Nicolai in suo Antidotario, vel electuarium de psilio Domini Mesuæ descriptum distinctione secunda sui Antidotarii, præsertim si materia fuerit ex admistione choleræ citrinæ, at si cum crassiori materia admistio fuerit pone agaricum vel sirupum rosaceum solutiuum, qui fit ex plurimis infusionibus rosarum sicut sirupus violaceus descriptus à Mesue ex infusione violarum, ita etiam cum rosis quinquies vel sexies infusis fiat sirupus rosatus solutiuus, aut detur hiera Galeni, descripta septimo Artis curatiuę, vel trochisci ex violis sine scamonea descripti à Domino Mesue capite de asthmate, & procede euacuando pro vt operæpretium fuerit, quæ omnes medicinæ possunt dari secure, vna sola, & plures admistæ, puta cassia cum manna & tryphera Persica, vel si materia magis crassa fuerit cum cassia detur sirupus rosaceus solutiuus, ex quo à tribus vnciis vsque ad quatuor dari potest, similiter in aliis materiis euacuando cum lenitiuo, Diacatholicone, hiera & agarico, nam agaricus educit materiam crassam & est medicina cordi conferens: similiter in aliis humorum admistionibus, neque in hoc potest dari certa regula & modus admistionis medicinarum educentium materias putridas, sed in iudicio experti medici, hoc idem dico de iudicio mistionis, materiæ putrescentis, nam hoc sumitur ab exeuntibus mutatis & ab intermissione, seu maioris exacerbationis tempore, quanquam febres pestilentiales vt plurimum sint non intermittentes, ac habentes materiam intra venas putrescentem. Non tamen humores in exacerbationibus propriam dimittunt naturam, vt puta in dominio choleræ febres in tertio magis exasperant, & in melancholiæ dominio in quarto, in sanguinis æqualiter, & in phlegmate quotidie; notabis præterea vnum in euacuando quod etsi periodicationes sint, vt dictũ est, cũ materia phlegmatica admista est, agaricus, vel sirupus rosaceus solutiuus, vel trochisci ex violis sine scamonea sunt dandi, præter cassiam & trypheram Persicam, nam basis trochiscorum de violis est turbith, qđ educit materias phlegmaticas à prædominio, & ideo cauendum est facere, quod quidam nostris temporibus faciunt, dãtes etiam in tertiana

exquisita & aliis ægritudinibus pendentibus á materia cholerica hos trochiscos, cũ tamen nõ primo choleram purgent. studeant igitur cognoscere basim, per quam medicina primo operatur educendo proprium humorem electiue, similiter etiam in decoctionibus faciendum est secundum diuersitatem materiæ, addendo & polipodium, & senam cum admistio est humoris melancholici, & liquiritiam, & in aliis aliter, ita, vt omnia vnum sequãtur ordinem, in euacuando secundum diuersitatem materiæ, quam cognoscimus signis iam dictis, iudicio quodam æstimatiuo certæ veritati propinquo, similiter etiam decoquendo siue digerendo post minorationem facere oportet. s. cum materia est cholera vitellina crassa dentur sirupi accommodati verbi gratia, Recipe sirupi acetosi simplicis. ℥. i. ex acetositate citri. ℥. s. aquarum buglossæ, lupulorum acetosę an. ℥. i. misce, sumãturq; mane & vesperi calidi, quod si caliditas febrilis fuerit vehemens, dentur frigidi. At si cholera fuerit citrina detur iste: Recipe sirupi ex acore citri, aut limonum. ℥. i. de succo acetosę. ℥. s. aquarum endiuię, acetosę an. ℥. i. s. misce & detur vt supra, sed cum materia fuerit cholera adusta. s. minoris famæ, detur sirupus hoc modo: Recipe sirupi de acore citri vel limonum. ℥. i. ex pomis acetosis Mesuæ. ℥. s. aquarum acetosæ, boraginis, buglossę an. ℥. i. & detur quando dictũ est, & etiam frigidus, quod si cholera adusta ad prasinæ choleræ naturam deuenerit, dabis istum sirupum magis ad frigiditatem declinantem, quoniam hæc cholera sua caliditate sæpissime interficit, dabis etiam alias potiones frigidas superius dictas, factas cum aquis acetosæ, nenupharis, violarum, & cum succo limonum aut citri, vel arãciarum, vel granatorum, vel vuæ immaturę, & aliis infrigidantibus vt sunt trochisci ex camphora Domini Mesuę, & si cętera consentiũt danda est aqua frigida, & potius infrigidando prorogare oportet ægritudinem quam permittere ægrum cito interfici ab ipsa materia acuta & vstiua caliditate. Quod si cholera zinaria siue æruginosa fuerit, quoniam est valde acuta, ac malignior prasina, ambæ tamen sæpissime digestionem non expectant, & pręsertim zinaria, quod etiam attestatus est Auicenna, quoniam venenum est perniciosum ita, vt antequam ex ipsa fiat febris hominem interficiat. Vnde disputant medici quærentes nunquid ex istis, febris esse possit, tu vero siue esse possit, siue non quando præter malignitatem pestiferam videris signa attestantia istos humores primum & ante omnia ipsos euacuabis euacuatione eradicatiua euacuatiuis superius dictis, non dimissa triphera Persica; deinde quæ refrigerent vltima refrigeratione cum securi-

tate, non expoliata à resistentia pestiferæ qualitatis, & putredinis, administrabis, quando syrupos iam dictos, ex acore limonum, & citri vt supra, scio etenim huiusmodi choleram tam prasinam quam zinariam habere colorem viridem obscurum siue atrum ex adustione, sed illa cholera, quæ fit viridis ex admistione choleræ citrinæ & humoris melancholici, tametsi colorem aliquem viridem habeat, non tamen per adustionem & incinerationem ipsum acquisiuit, immo est humor fluxilis & subtilis, ille vero est magis tenax ac siccus ex adustione humorum. Sed vtcunque sit ex accidentibus eum cognoscere oportet & iudicare, ponendo diuersos gradus malitiæ in choleris adustis, quoniam prasina & zinaria non semper est in vltimo gradu adustionis & malitiæ. Et ratio est quoniam non semper potest calor in ipsam choleram vltimam adustionem imprimere, quare optime dixerunt quidam se vidisse aliquos patientes febrem ex cholera prasina & zinaria euasisse, quæ non ultimum gradum malitiæ habebat, etenim, qui vexantur à tali cholera puta primi vel secundi gradus malitiæ inclusiuè, euadere possunt sed minime in tertio & quarto gradu, quoniam venenum est ex toto contrarium vitæ, attamen nos qui medici sumus semper auxiliari naturæ debemus, etiam si sine spe hoc aliquando fiat, cum sępissime & deploratos viderint medici conualescere. Signa vero choleræ prasinæ & zinariæ scripsit Galenus duodecimo de Ingenio circa finem cum adolescentis cuiusdam talem humorem euomentis historiam narret, doceatq; causas eorum, quæ ab ipso consequuntur, vt est animi defectus conuulsio, sudor frigidus, pulsus paruitas, & imbecillitas. docet enim talem humorem vomitu educere si in stomacho fuerit, & hoc per assumptionem aquæ tepidæ, & si fuerit in intestinis, aut in venis propinquis per secessum nimirum impositis clysteribus lenientibus humorem cum quadam abstersione, vt puta cum cassia pro clysteri parata, & hiera picra. Potes etiam vt superius dictum est, dare euacuatiuum per os compositum ex diacatolicone, manna, & trifera persica, neque tempus intermittendum est, si apparuerint signa dictorum humorum superius dicta. Patet igitur responsio dubitationi antiquorum & modernorum disputantium an febris oriri possit ex ista cholera. Nam qui dicunt febrem causari posse ex cholera æruginosa vel prasina, dicunt quando in ipsa non est vltima malitia adustionis, & materia pauca est admista cum aliis humoribus & lõginqua à corde, quoniam & si in ventriculo supercalefacto generetur, attamen generatur etiam in cæteris venis corporis, & aliis partibus, vbi cholera aduri potest, qui vero dicunt non excitari febrẽ ab

ista cholera, dicunt quando humor vltimam adustionis malignitatē habet, quoniam cito interficit. Quod autem iste humor possit putrescere, nihil obstat, cum sit pars destituta à natura & humida, tametsi respectu aliorum humorum siccissimus sit humor. Et eo facilius putrescit, quia inclusus sit, neque respiret, & cum ipso sint aliæ corporis humiditates putredini paratæ. Et postquam à Conciliatore Aponense differentia xci. dicitur de iuuene qui erat temperaturæ siccæ valdè, qui febrem patiebatur ex tali humore, & etiam moderniores alii idem affirment, dicam equidem quæ semel uidi. Mulier nanque sanguineæ complexionis, ætatis xxv. annorū virgo, in Autumno scilicet in fine Augusti incidit in febrem pestilentialem, quæ cognoscebatur ex ipsa aeris & anni constitutione illius videlicet. 1527. quo anno maior hominum pars non solum Venetiis, sed per totam Italiam & ferè vbique à tali febre corripiebatur, erat febris hæc intus conturbans & extra quieta, ac ferè sine calore, pulsus erat omnino diuersus, sed neque magnus, neque frequens, vrinæ subiugales & nigræ, ac maculæ per vniuersum corpus apparebant. Ad quam cum secunda die postquam febricitare cœpit accessissem vidissemq; omnia dicta, præsertim inquietudines, & insomnietates, præmisso clystere, iussi imitando ipsam naturam expellentem ad cutem apponere ventosas scarificatas & extraxi sanguinem seu materiam sanguinis admistam venenosam, sic enim docuit Hippocrates vbi natura incipit, per illam regionem ducere, quo facto paululum dormiuit. Præmissa deinde dieta subtili & abstinentia à vino, sequenti mane per dimidiam horam ante cibum sumpsit hoc euacuatiuum: Recipe floris cassiæ, mannæ electæ an. ℥. i. misce & cum saccharo fiat bolus, quod eduxit feliciter materias malas corruptas diuersæ admistionis, cibus fuit ptisana hordeacea cum iure parui pulli, in quarta superuenit dolor in regione hepatis & calor auctus est, pulsus diminutus & sudorem frigidum sudauit cum animi defectu, & anxietate stomachica ac singultu. Quare videns hoc iudicaui materiam & multam & malam esse in hepate, quæ in dies maiorem acquirebat malignitatem, cumq; vidissem materiam repere in stomachum adiuui naturam, dediq; aquam tepidam cum sirupo acetoso, cum vero mulier esset facilis ad vomitum, imposito digito gutturi euomuit materiam viridem adustam in quātitate notabili, & post vomitum subsecutus est etiam fluxus ventris cholericus eiusdem coloris & substantiæ non paucus, prius etenim alleuata natura à vomitu fortior facta est in residuum, cessauit autem hepatis & stomachi dolor cum tali fluxu, & mulier quieuit, sudauitq; post dictum fluxū,

sudore non frigido. Vnde, visa euacuatione materiæ zinariæ & alleuatione accidentium, tota intentio fuit corroborare cor & virtutem instaurare cum rebus, quæ intus & extra calorem extinguunt, virtutem instaurant, & cordi prosunt, vt sunt iuscula hordeacea cum contuso ex carne caponis, in quo ponebam aquam carnis factam in balneo Mariæ, & puluerem ex gemmis, margaritis, & coralis ad clarificandum spiritus cordis, illi ergo inter prãdium & cœnam porrigebatur ouum contusum in iure capi, cum succo vuæ acerbæ, vel aranciarum vna cum cochlearibus duobus aquæ carnis dictæ. Mane vero, & vesperi duabus horis ante cibum dabam ei bolum ex terræ sigillatæ & boli armeni ana ʒ.s. cum sacchari rosacei. ℥.s. & parũ sirupi ex acetositate citri, in nocte vero dabam dictum ouum in iure contuso, post cœnam sex horis. & hoc quoniam virtus vitalis imbecillis erat. Potus eius fuit aqua acetosæ & buglossę cum vino granatorum ad libitum. Pro siti extinguenda tum in die tum etiam in nocte bibebat sirupum hunc: Recipe sirupi de acetositate citri. ℥.i.s. aquarum buglossæ, acetosæ ana. ℥.i.s. quem frigidũ semper bibebat, neque volui sibi vinum concedere tametsi medici alii adessent seniores, qui inspecta virtutis imbecillitate vinum dare omnino volebãt, rationibus antiquorum quibusdam & auctoritatibus moti, quibus ego hac ratione responsiua satisfeci scilicet in morbis curandis totã intentionem curatiuam sumendam esse ab essentia morbi. Morbus enim erat febris, & propterea calidus, a materia cholerica per vltimam caliditatis malignitatem, præter pestilentialem qualitatem, factus, nullo igitur modo neque cibum, neque potum calefacientem, aut acuentem sanguinem & magis furere facientem dari oportebat; neque tamen aqua carnis, vt quidam cogitabant talem acuitatem poterat in humoribus imprimere, sicuti vinum, cum nemo det quod non habet, non enim caro caponis est caliditate subtili euaporatiua, neque humorum acuitatem facit, cum sit temperata, mitis, & valde similis nostræ naturæ, & ideo loco instaurationis, quam illi vino præstare volebant, aquam carnis in cibariis administraui, ex qua instaurata dormiuit. Sed vt omnia præ manibus habeas, scribam diuersos modos faciendi ipsam aquam carnis, quorum primus erit modus faciendi ipsam in balneo Mariæ, vel in duplici vase hoc modo: Accipe carnem capi siue pulli gallinacei, vel perdicis, aut phasiani, vel carnem vituli, aut hœdi, vel castrati duorum annorum. Et incide ipsam in parua frusta amota parte pingui, postea asperge ipsam aqua rosacea & acetosa, ac desuper pulueres cor & stomachum corroborantes, clarificantesq; sanguinẽ

iniice, vt sunt coralii præparati, margaritæ, fragmenta gemmarum, nimirum smaragdi, hyacinthi, rubini, granatæ, saphyri, & folia auri purissimi, quo facto, pone dictam carnem frustatim incisam, & aspersam cum dictis pulueribus in uase vitreo, ad similitudinem cucurbitæ. Hæc etiam aqua, licet eã pro pauperibus sine gemmis & fragmentis & aliis pretiosis facere volueris, optima erit, cum nutriat nutrimento spiritali & substantifico. At si non adsit vitrea cucurbita, potest poni caro in phiala magna vitrea, deinde operiatur os cucurbitæ, seu phialæ membrana, vel aliquo alio coopertorio, ita, vt respirare non valeat, postea pone uas siue cucurbitam dictam in caldario aqua pleno, ita, vt cucurbita sit submersa in aqua, quod fieri solet apposito aliquo grauante ad fundum ipsius phialæ seu cucurbitæ, deinde dimitte ut bulliat lento igne & habebis aquam carnis. Quod si aliquod signum perfectionis ipsius habere desideras, pone crura ipsius caponis in caldario ut bulliant, nam quando crura erunt perfecte decocta tunc aqua carnis perfecta erit, quare amoue eam ab igne, & transfunde, & serua in ampulla vitrea, & da patientibus cum iure carnis, aut cum contuso, panatella, & iusculo, ad quantitatem duorum coclearium & plus etiam prout erit opus. Alius modus faciendi aquam carnis est iste: accipe carnes caponis vel gallinę, aut aliorum animalium (vt supradictum est) & incide in frusta & ipsis superim pone aquam acetosæ, buglossæ, & endiuiæ ad quantitatem in qua decoqui possit, & pone illa ad ignem ut bulliant usq; ad quandam mediocrem concoctionem, postea hoc totum scilicet carnem & aquam in qua bullierit pone in cucurbita uitrea cum suo capello, siue operculo, ex quo aqua instillatur ad furnulum cũ igne, & supposito uase recipienti sublimare permittito usquequo omnia quæ in cucurbita sunt exiccentur, & id quod destillatum fuerit est aqua carnis, quæ non est multum potens, & est clara, & ex ista potes dare maiorem quantitatem, etenim est nutrimentum conueniens tam febri, quam uirtuti cum nutriat & refrigeret. Tertius modus faciendi eandem aquam carnis est per assationem carnis super craticulam, uel in veru, & per expressionem, ita, vt ex ipsa carne per quampiam assationem & expressionem succus ipsius exprimatur, hæc tamen expressio longe melius fit per torcular, & iste tertius est medicorum antiquorum modus faciendi aquam carnis, sed duo priores modi sunt meliores, & magis in vsu tẽpore nostro. Iã uero reuertamur ad ægram, quæ quoniã non expoliabatur ab aliquibus accidentibus malignitatis materiæ, ideo cordi sæpe applicabatur sacculus hoc modo confectus: Recipe specierum cordialium temperata-

peratarum.ʒ.ii.sandalorum alborum, seminum citri ana.ʒ.s.misce & ponantur in sacculo serico subtili purpureo; ob id etiam electuariũ ex floribus & rebus cordi conferentibus, ex quo sæpissime sumere iussi, id autem erat hoc modo compositum: Recipe sacchari rosacei, buglossati, boraginati, violacei ana ʒ.s. margaritarum præparatarũ fragmentorum ex gemmis, terræ sigillatæ, boli armeni ana.ʒ.i.foliorum auri purissimi numero x.sirupi ex acore citri quantum satis est, misce & fiat eclegma. Septima die iterum egessit materias malas corruptas fœtentes fœtore horribili, quæ non expoliabantur mistione illius choleræ zinariæ, exitus etiam non erat sine intestinorum dolore; fluxu vero sedato decima superuenerunt dolores colici, non parui, qui talem timorem medicis incusserunt, vt ferè sine spe essent, attamen quoniam materialis erat ægritudo & in intestinis propinquis eductioni, per secessum eam materiã clysteribus euacuare tẽtauimus hoc modo, Recipe foliorum maluæ, violarum: endiuiæ, boraginis, buglossæ, siclæ, & florum chamomillæ ana manipulum.i.bulliant in aqua communi, ex qua decoctione accipiebatur lib.i.s.olei violati, camomellini, ana ʒ.i.s.electuarii lenitiui.ʒ.i. ex quo quidem clystere euacuatæ sunt materiæ diuersæ in colore & substantia, sicque per aliquos dies clystere supposito exibant materiæ malæ: Prorogata est tandem ægritudo vsque ad plurimos menses, scilicet per totam hyemem & in vere euasit, attamen multa alia sequuta sunt dum prorogaretur ægritudo, quoniam post quadragesimum diem apparuit tumor post aurem sinistram, qui cum difficultate & temporis longitudine suppuratus est, febris etiam mutata est ad species tertianarũ, quoniam facta fuit post vigesimum interpellata non tamen absolue batur a non intermittente, & ita aliquando crassorum & aliquando subtilium humorum, & sæpe exquisitæ choleræ signa apparebant. Mihi vero prima omnium intentio fuit conseruare virtutem deinde materiam alterare secundum eius prædominium nam & sirupos calidiores in processu dedi scilicet oximel & bizantinũ, & de radicibus, cum aquis fœniculi, absinthii & aliis secundum necessitatem, sæpe præterea materiam euacuaui cum rheubarbaro, & agarico, & ita dei omnipotẽtis auxilio mulier sanata est, viuit, & nupsit, filiosque procreauit. Possem plures alios casus memoria dignos enumerare, quos breuitati studens dimitto, & eos quidem qui non deuenerunt ad chronicam ægritudinem, quoniam non erant a materia adusta & æruginosa, nam qui a tali materia euadunt semper in diuturnam incidunt ægritudinem ex virtutis dissolutione; ex dictis collige, in tali maligna ægritudine oportere viriliter agere, tametsi

omnia signa mala sint, quoniam sæpe virtus, quæ est contraria morbo, si ab extrinsecis iuuetur, uincit omnem malignitatem, his adnotatis sequar modum digestionis siue alterationis in aliis materiebus putrescentibus in febre pestilentiali. Quare esto memor si materia fuerit admixta sanguini non multum esse diuersam intentionem ab ipsa materia cholerica, cum sanguis ex incensione febrili ad naturam choleræ conuertatur, & ista ratione indigeat extinctione cum sirupis iam dictis, non tamẽ vltima extinctione, quare sirupi sint ex acore citri vel limonis & ex endiuia, buglossa & aliis cum aquis cicoreę, buglossæ, boraginis, & acetosæ; sed si materia magis phlegmatica a prædominio fuerit, quod cognoscitur ex regimine multiplicante ipsam & complexione & ex modo caloris, atque excrementorum substantia & colore non prætermisso sirupo ex acore citri, detur sirupus bizantinus cum aceto, vel sirupus acetosus compositus cum aquis lupulorum absinthii, fœniculi & aliorum secundum diuersitatem crassitiei. Quod si signa attestentur materiam melancholicam admistam & cognoscitur ex dictis scilicet regimine, complexione, & exeuntibus & aliis, dentur sirupi tales: Recipe syrupi de buglossa. ℥. i. de acetositate citri. ʒ. s. aquarum acetosæ, boraginis ana. ℥. ii. misce, & detur vt sæpe dictum est mane & vesperi, sed animaduerte administrare sirupos secundum diuersam admistionem humoris melãcholici, vt si cum phlegmate dabis præter alios sirupos etiã oximel uel sirupum acetosum ex saccharo, sed si cum cholera, dabis sirupum ex nenuphare & ex violis, aut ex pomis dulcibus & acetosis. Attamẽ scire te oportet ex sententia Galeni, & Hippocratis tertio de Ratione victus in morbis acutis acetum non cõuenire in digestione humoris melancholici, cum sit frigidum & siccum pro maiori parte, cõuenit tamen si materia ex admistione crassa est, ratione incisionis, vel quoniam facit ad penetrationem aliarum medicinarum, esto tamen prudens & nunquam errabis. Nam acetum præseruat a putredine, sed magis timendum est, si tussis, vel aliqua mala pectoris dispositio fuerit, nocet etiam mulieribus cum noceat vtero ipsarum, quare in istis caute agendum est; sed vtcunque operetur ratione præparationis seu digestionis: sirupi tamen dentur fortiores in crassioris materiæ digestione, qui non sint expoliati ab acetosis & resistentibus malignitati pestiferæ, præterea cordi semper attendendum est cum illis, quæ corroborant ipsum & virtutẽ instaurant intus & extra, vt sunt odoramenta sæpe dicta, & tempore fructuum odorent poma odorifera, pira moschata, persica & similia, comedãt confectiones ex saccharo & rebus cordi conferentibus, vt est terra sigillata & reliqua, et cir

ca cordis regionem vngere oportet, & sacculum apponere vt dictũ est. Sed quoniam præter malignitatem pestiferam, febris cum putredine humorum est, ideo ex pręceptis principis Auicennę causam materialem, præter malignitatis & caliditatis extinctionem, amouere oportet, quare apparentibus signis coctionis materiæ, quæ ex vrinæ sedimento laudabili habentur, tametsi sæpe in tali febre minime appareant, cum natura a maligna qualitate impedita, & cordis cõseruationi intenta, cęteras operationes, quales suntconcoctio, expulsio, & aliæ, perficere non potest, quare nõ apparentibus etiam omnibus signis concoctionis in vrinis, ex aliquo iudicio æstimatiuo ex aliis sumpto, existente multitudine humorum & malitia euacuare oportet, & inter cætera maxime confert in euacuando scire ægri temperaturam, cum diuersificentur superfluitates in diuersis temperaturis. Existente igitur putredine cum materia cholerica, eam euacuabis, vt sæpe dictum est cum cassia, manna, diacatholicone & tryphera persica. Quod si putredo fuerit cum materia phlegmatica addantur medicinæ, quæ crassos humores euacuant, vt est agaricus, trochisci ex uiolis sine scammonio, cũ tryphera persica, quam nullo modo prætermittas, qualiscunqꝫ fuerit materia euacuãda; sed in decoctionibus fructunm superius scriptis addãtur polypodium, & sena & glycyrrhiza & fiant cum aquis fœniculi absinthii, & acetosæ. At si materia putrescens cum humore melancholico fuerit, euacuetur cũ electuario lenitiuo & diacatholicone, quoniam cõponuntur ex eis etiam, quæ materiam melãcholicam sine molestia purgant, vt est sena, adde etiã in decoctionibus dictis senam, & flores fumiterræ, buglossæ, & boraginis non dimissa acetosa ratione malignitatis pestiferæ. Sed quoniã regulariter operando in statu ęgritudinis minime euacuare oportet, & hoc neque pharmaco, neque per sanguinis missionem, ideo nisi maxima sit repletio, quæ cum malignitate urgeat ita, vt minaretur permutationem ad aliquod membrorum principalium, dimittenda est natura cum regimine instaurante virtutẽ & malignitati pestiferę oppugnante, clysteribus euacuando scilicet superfluitates cõmunes, et leuibus fricationibus et ventosis mater am et malos vapores ad cutem reuocando. Notabis tamen cum superius dixerim sæpe febrẽ pestilentialem cũ putredine sanguinis esse, ac docuerim quomodo sanguinem per venę incisionem, vel per appositionẽ cucurbitularũ euacuare oportet, quod sanguis non educitur per medicinas per os sumptas electiue, nisi illa venenum sit, vt testatur Galenus in libello de Virtutibus medicamẽtorum purgantiũ, ubi narrat historiã illius herbarii, qui cognoscebat herbam, quæ sanguinem educebat et ipsa

turpiter vtebatur, qui oculis vinctis decollatus est, ne forte ipsam herbam aliis ostenderet. Medicinæ igitur, quæ sanguinem euacuãt, venenum interficiens sunt, sed medicinæ salubres mundificant sanguinem & minime eum euacuant, vt in dicto libello dixit Galenus, sed seruatur tanquam Thesaurus naturę, & ideo non nisi post quam cæteri humores euacuati sunt, euacuatur. Quare non sine timore vena aperitur, attamen si necessaria est sanguinis missio præter priorem & sanguinis & humorum euacuationem, iterum uena aperiatur, si omnia consentiunt, vt ego aliquando feci. Et inter cæteros dicam qua ratione ter, per sanguinis a vena missionem, euacuaui Andream a brachio compatrem meum, nam iste anno infelicissimo 1528. mense Iulii iuuenis existens & sanguineæ temperaturæ correptus est febre pestilentiali cum putredine sanguinis pro maiori parte & accidentibus sæuissimis, scilicet caliditate, & inquietudine maxima, erat etiam magnus, frequens, & diuersus, & dolor capitis grauatiuus non dormiebat, aderat tamen quædam impotentia aperiendi oculos, & sitis ardentissima cum ariditate linguæ & anhelitus frequentia, erantq; vrinæ rubræ & crassæ, turbidę, liuidæq;, & præterea nihil egerebat. Hęc omnia perpendens, & pręsertim robur omniũ virtutum, (erat enim quasi, athleticus & exercitatus in omni genere laboris, multum comedens & vini potator) iussi eodem die quo ad eum vocatus fui & erat secundus suæ agritudinis, prius imposito clystere mitti sanguinem ad. ℥. viii. a vena, quam basilicam vocãt, dexteri brachii, sequenti die, quę erat tertia, dedi pharmacum lenitiuum tale: Recipe floris cassiæ. ℥. i. s. trypherę persicę. ʒ. iii. misce & cũ saccharo fiat bolus, quo sumpto post horam accepit prandiũ, scilicet panatellam cum seminibus peponum. Mane sequenti in aurora accepit hunc sirupum frigidum: Recipe sirupi ex acore citri rosacei ana. ℥. i. aquarum acetosæ, buglossę ana ℥. ii. & quatuor horis post accepit prandium, sed ante prandium iussi fricari vniuersum corpus incipiendo a cruribus, eundem sirupum accepit ante cœnam frigidum præmissis fricationibus, nocte tamen parum dormiuit, calorq; maximus fuit, sitis valida & inquietudo sine intermissione ex multitudine sanguinis putrescentis, quare mane ante prandium iusi apponi ventosas sacrificatas super dorsum & nates, & sanguine ad. x. vncias euacuato subsequuta est remissio accidentium, & dormiuit a prandio usque ad horam cœnę, in nocte non quieuit, & vrinę non mutabantur, in sexta apparuerunt maculæ per vniuersum corpus rubre & latę, sed non eminentes. attamen febris non remittebatur, quamuis etiam pręter sirupos iam dictos

aquam acetosæ, & buglossæ cum vino granatorum & sirupo rosaceo ad libitum biberet, & aliquando sumeret terram sigillatam & bolum armenium cum saccharo rosaceo, & cætera quæ cordi conferũt, & extra sacculum cordi ex speciebus cordi conferẽtibus & sandalis haberet, septima auctus est calor, cum dolore capitis, ac inquietudine maxima. Et quia difficile erat scire, cũ esset corpus vndequaq; plenũ quænam illi euacuatio conuenientior esset, attamen cum signa multitudinis sanguinis putrescentis intra venas adessent, iterum iussi ventosas scarificatas vesperi ante cœnam applicari, & sanguinem mitti vsque ad decem vncias, vt ad exteriora membra prouocaretur. Sed cum nocte non dormiuisset iussi mane aperiri venam iam dictam & euacuari. ℥. vii. sanguinis & statim post dedi sirupum supra dictum frigidum, post prandium vero dormiuit vsque ad horam cœnæ. Sequenti die imminutus est calor, & sitis, & vrinæ meliores factæ sunt, in quibus quoddam sedimen diuulsum & liuidum apparebat, virtus vitalis & cæteræ validæ pro maiori parte erant, appetebat & quæ sibi offerebantur accipiebat, hæc autem erant iusculum hordeaceum .s. & contusum. Decima die quoniam plethoricum corpus, vt dixi, erat, dedi hoc pharmacum: Recipe Diacatholiconis, floris cassiæ an. ℥. vii. trypheræ Persicæ. ℥. iii. cum decoctionis. ℥. i. tamarindorum, passularum & hordei an. ℥. s. prunorum numero. vi. florũ buglossæ, boraginis, violarum an. ℥. i. seminum citri, acetosæ, an. ℥. ii. in aquis buglossæ, & acetosæ, quantum satis est, hæc medicina eduxit fœliciter sine molestia. Exeuntia tamen erant corrupta lenia, diuersa, & cum fætore horribili, quare febris multo magis remissa est, & omnia accidentia diminuta sunt, vrinæq; cum meliori coctione apparuerunt, ita vt nulla amplius esset suspicio. Post quartum decimum voluit bibere vinum, quoniam vsque in illum diem tametsi millies vinum petiisset nolui concedere, attamen post huiusmodi vini potum inualuit febris cum dolore capitis, & vrinæ iterum turbatæ sunt, nõ dormiebat, rediitq; sitis valida, quæ non extinguebatur potu aquæ, his visis licentia sumpta à robore virtutis & complexione sanguinea & sanguinis multitudine iterum decimaoctaua die aperui venam dictam, & sanguinem euacuaui ad quantitatem decem vnciarum & cessauit febris in vigesima cum sudore multo. Quare notent medẽtes quandoque etiam in febre pestilentiali apparere crises tametsi hoc raro fit, Febris hoc potius erat cum materia benigna putrescente quàm cum alia cum qua tamen erat qualitas pestilentialis, ex constitutione temporis, vides igitur ter me aperuisse venam & euasit à maxima ægritudine, licet in tali constitutione omnes ferè, qui phle-

botomati sunt, perierint. Sed si recte omnia consideres videbis quod etsi ratio mittendi sangninem ad multa referri possit, ego eam à duobus potissimis sumpsi, scilicet à robore virtutis & multitudine sanguinis illud suffocante, alioquin canonice & secundum antiquorum auctoritates factum non esset. Dixit enim Galenus de cura febrium continuarum ad Glauconem quod omnes quibus aperta fuit vena in diebus calidissimis interiere, quoniam tempus anni velut accidēs quoddam insequens ægritudinem est. consimilem sententiam scripsit Cōmentator Alexandrinus in libello de Sectis commento. xiii. causa vero interitus fuit hæc quoniam nimia caliditas aeris ambientis dissoluit virtutem, ita, vt per phlebotomiam sanguis cum calore imminutus sit, cumq; ille sit huius pabulum, eo puta proprio humido deficiente residuum caloris extinctum est, vt contingit in lucerna. Sed nota quod aer, cum sit nimis inæqualis, tam in caliditate, quam in frigiditate, est de illis, quæ prohibent omne genus euacuationis, quoniam caliditas aeris excedens dissoluit (vt dixi) virtutem, & etiam quoniam sanguis feruefactus in naturam choleræ transit; quare cum per sanguinis euacuationem virtus magis debilitetur quia est thesaurus naturæ & cholera magis acuta reddatur, quoniam sanguis est frænum choleræ, hinc est quod phlebotomati omnes peribant in calidissimis diebus. Quare cauendum est à venæ apertione in febre pestilentiali quoniam hæc febris sua malignitate sæpe statim virtutem debilitat, & quoniam missio sanguinis materiam ad principale membrum reuocat. Sed vnde discessit oratio redeo. Non enim sanguinis in febre pestilentiali transacta quarta die euacuatio securè fieri potest, cum dicat Galenus secundo de Diebus criticis quartam esse diem imperfectæ crisis, in qua natura mouet materiam aliquo motu, præsertim si materia est subtilis, vel maligna virtutem stimulans, & ideo in apertione venæ cum materia venenosa, quæ iam mota erat à natura, retrocedat iterum per venā ad intrinseca membra inanita, vt superius dixi, & ad cor redeat, si illa, quam iecorariam vocant, aperiatur, cum ex directo à dextero ventriculo cordis sanguinem educat, vt sciunt, qui per sectionem partes corporis humani earumq; consensum & processum venarum recte cognoscunt. Nam facta inanitione ventriculi dextri cordis, hepar subministrat sanguinem ex intentione naturæ, & etiam ne detur vacuum: quod si nimia est euacuatio, hepate inanito, venæ maiores & propinquiores subministrant sanguinem iecinori, & paruæ maioribus, ita, vt materia illa, quam natura sequestrauit tanquam noxiam, iterum ad venas reuertatur & ad alia membra reuertatur ad-

mista cum sanguine, quæ cum ad cor deuenit occidit hominem sua venenositate. Eadem est ratio de incisione aliarum venarum magnarum, scilicet saphenæ vel poplitis, cæphalicæ, saluatellæ. Etenim saphena siue maleoli, & poplitis vena, quæ idem sunt & non differũt nisi loco quia tam vna quam alia incisa à iecinore ex directo euacuant. Vnde facta iecinoris inanitione, dexter ventriculus per viã sequelæ ne detur vacuum subministrat sanguinem, & ventriculo inanito venæ propinquiores ei sanguinem subministrant, qui cum sit pestifera qualitate infectus inficit spiritus cordis, sicq; sequitur mors; similiter de cæphalica in brachio dicendum est, nãm & si primo à capite educat, cum sit ramus venæ procedentis à dextero ventriculo cordis, cor ei subministrat, & corde inanito hepar ad dexterũ ventriculum mittit & venæ ad hepar, vnde fit mistio mali sanguinis cum bono in corde, sicq; pereunt ægrotantes post sanguinis missionem. Nota tamen quòd non semper phlebotomati post quartam moriuntur per idem temporis spacium, & ratio est propinquitas aut distantia loci, a quo sanguis mittitur ad ipsum cor, & ea ratione in apertione venæ iecorariæ citius pereunt, quam in apertione venę poplitis vel cęphalicæ, cum in reuersione sanguinis à loco lõginquo maius temporis spacium exigatur. Adiuuat ad hoc fortitudo vel debilitas virtutis resistentis, amplitudo & angustia, rectitudo & tortuositas venarum; & hęc satis dicta sint de missione sanguinis in dicta febre, quæ si diligenter attendas soluunt multas modernorum quæstiones de missione sanguinis in morbo pleuritico. s. à quo latere facienda sit, dimissis opinionibus, quid nã senserit vel sapientissimus Hippocrates, vel doctissimus Galenus, quoniam cognosces quæstiones esse in uerbis, nõ in modo curandi ex quo veritas haberi possit, quare dimittendæ sunt, & licentiam emittendi sanguinem per scientiam sectionis corporis humani accipere oportet, docente Galeno in libello Paruæ artis medicinalis, aliter periculum est repere dogma sempiternę passionis, neque dimittendus est sensus propter rationes, quoniam dixit Aristoteles octauo Physicorum, commento. xxii. q̃ dimittere sensum propter rationes est imbecillitas intellectus. Quo modo conferat apertio venarum ani, quas hęmorrhoidas vocant, & venæ frontis, narium, sub lingua & post aures, in cura particularum accidentium dicam. In hectica vero pestilentiali, signa cuius ex dictis ante colligi possunt, sufficiens est regimen in sex rebus necessariis sæpe dictum, præsertim in alteratione aeris, & rerum, quæ per os sumantur vt sunt præseruantia frigida non soluentia vẽtrem, in quibus terram sigillatam & bolum armenium cũ sirupis ex

limonibus & acore citri libentissime ponimus, trochiscos etiam de camphora cum sint ex illis, quæ ad omnia conferunt cum aquis & decoctionibus, quæ non solum faciunt ad malignitatem pestiferam, verum etiam conseruant humiditates radicales & alias in membris, in quibus primo accenditur calor febrilis, in hectica dari etiam possunt cum aquis, quæ sua humiditate prohibeant exiccationem substantiæ solidæ membrorum, quod facilius fiet, si res erunt potabiles. Et inter cætera quæ prohibent consumptionem membrorum sine præparatione ad humiditatem putredinalem, est caro cancrorum fluuialium, & caro testudinum & cochlearum, & etiam aquæ destillationis ipsarum carnium & multa alia, hęc itaque satis sint de cura cuiuscunque differentiæ febrium, modo de illis, quæ ipsas insequuntur, accidentibus scribam.

De causis & essentia quorundam accidẽtium in febribus dictis, ac de eorum particulari cura. Cap. 3.

IAm in primo tractatu accidentia quamplurima, quæ febrem pestilentialem insequebantur enumerauimus, quæ non pigebit iterum hic ad clariorem doctrinam enumerare, addendo siquid prætermissum fuit tanquam raro eueniens, breuitati tamen studens causas eorum hic minime scribam, quoniam abunde in primo ipso tractatu eas exposuimus, præter quasdam, quæ quoniam multas habere possunt, eas declarare interdum nõ ingratum fore putaui, vt facilius illi opitulari possis. Sunt igitur accidentia insequentia febrem pestilentialem plurima, ac etiam ægritudines, eam insequentes non paucæ quę etsi ab ipsa febre primo originem ducant, particularem tamẽ curam desiderant præter regimen pestilentialis febris. Incipiam igitur ab accidentibus quæ febrem insequuntur. Et primum, est caliditas vehemens, quæ non semper, neque in omnibus est, sed aliquãdo, cui succurres cum cibis & potibus refrigerantibus iam dictis, pulsus etiam malus apparet diuersus imminutus & deficiens, & est inter cætera accidentia perniciosissimum, ad se trahens omnem curam, & ideo dicebat Galenus nono de Ingenio sanitatis, & libro de Febribus ad Glauconem virtutem conseruandam esse, quod confirmans princeps Auicenna dicebat virtute deficiente curationem non valere; quare subuenire ipsi tota erit intentio, cum odoramentis, quoniã cito instaurant, & potibus, vt sunt iura carnium, et contusum, in quibus ponatur aqua carnis, & dentur oua sorbilia, aut contusa cum iure & succo vuæ acerbæ, & alia instaurantia sæpe dicta. Est & conturbatio intrinseca aliquando cum animi defectu, & aliquando sine, cui succurrere oportet, si virtus tolerat fricationibus, ac appositione vẽ

tosarum per vniuersum corpus pèr quas sanguis mittatur secundum virtutis robur, aut euacuatione per clysterē, vel per aliud, quæ læuis sit, aut iis, quæ cordi conferunt extra vel intus administrans, vt est applicatio sacculi cordi conferentis, & inunctio cum vnguento cordis etiam corroboratiuo, vel per exhibitionem terræ sigillatæ, vel boli armenii, aut cum electuariis, quæ cordi prosunt, sæpe dictis, ac cum potibus extinguentibus caliditatem & venenosam malignitatem, facientem intrinsecam conturbationem, sed cum adest lipopsychia, vel animi defectus, mirabile præsidium est post leuem fricationem sumere terram sigillatam simplicem, aut cum sirupo de acore citri, vel aqua acetosæ, aut cum aliquo alio ex dictis. Anno infelicissimo. 1527. charissima soror mea Vincentia, ac Apollonius nepos meus, correpti fuerunt febre pestilentiali cum maculis siue pestichiis per vniuersum corpus, & multis aliis accidentibus inter quę sæpissimè animi defectus eis accidebat ex motu materiei venenosæ vaporantis ad os stomachi & ad cor, quibus præsentaneum & vnicum præsidium, ac salutare fuit, quoties in animi defectum inciderent, præmissis quibusdam leuibus fricationibus crurium, sumere. ʒ. s. terræ sigillatæ cum aqua acetosæ, qua sumpta paulo post egerebāt portionem materiæ cholericæ corruptæ, & hoc toties faciebant quoties huiusmodi terram sigillatam sumebant, qui ad Dei omnipotentis laudem sanitati restituti sunt, viuuntq́; quibus etiam Deus ineffabilis prorogare vitam ad vltimum senectutis dignetur. Fit etiā cum tali febre difficultas anhelitus, & tussis ex vaporibus malis ad pectus ascendentibus, aut ex aliqua materia à capite descendente, vel ex præsentia materiæ in pectore, aut ex omnibus iis simul, quibus omnibus confert si accipiatur sirupus de buglossa & liquiritia lābendo, quibus cum admisceri debet bolus armenius. Insomnietates præterea seu vigiliæ etiam fiunt in hac febre ex vaporibus calidis, ac pestiferis cerebrum alterantibus, huic accidenti quomodo succurrere possis superius dictum est. s. per illinitionem temporum cum vnguēto populeone, & aliis: neq; timendę sunt illinitiones in parte particularis membri tametsi frigidæ sint ac constipātes, cum somni reconciliatio maxime conferat ad virtutis instaurationem, & ideo somnus prouocetur omni ingenio non solum liniendo frontem, verum etiā apponendo emplastrum ex lactucis hoc modo compositum: Recipe succi lactucæ libram vnam, semperuiuæ, nenupharis, portulacæ an. lib. s. succi rosarum puri. ʒ. iii. aceti albi. ʒ. ii. farinæ hordei. ʒ. iii. seminum papaueris. ʒ. ii. hyoscyami. ʒ. i. misce et fiat emplastrum molle ad ignem, & tonsis capillis in parte anteriori capitis ita, vt supra locum

commissurae coronalis, emplastrum ponere possis, quod ibi super pānum lini extensum apponito, saepe reiterando, & locum oleo nenupharino ungendo. Ego praeter id sępe expertus sum in vigiliis febricitātium ex vaporibus à febre excitatis apponere folia magna lactucae viridis, quę vniuersum caput contigebant, &, vt ea folia maneāt, superpono tegmen panni linei subtile, & sic saepe somnum in aliquibus prouocaui, qui nullo auxilio vel praestantissimo dormire potuerunt, tam extra, quam intus sumpto, nec etiam cum opiatis medicinis, sed appositis foliis lactucae solis statim dormierunt. Notabis tamen quod quando isti priuantur somno ex apostemate calido in pāniculis, vel in substantia cerebri, intentio est curare ipsum apostema, de quo suo dicam loco, vt supra etiam dixi de cura febris ephemerę, vbi plurima remedia ad conciliandum somnum notaui (ad quē locū, si opus fuerit, redibis) vt est exhibitio sirupi de papauere post coenam, vel exhibitio requiei Nicolai à ʒ. ii. vsq; ad quatuor, si necessitas coget. Haec. n. est medicina mirabilis ad conciliandum somnū in acutis & peracutis febribus vt experiētia & ipse Nicolaus testatur, non tamen laudo lauari crura & brachia ante, vel post cibū cū decoctione foliorum lactucae, nenupharis, violarum, salicis, corticum papaueris, radicū mādragorę, florum anethi & chamomillae, cū periculū sit ne materia retrocedat ad membra principalia, quare non nisi cū maxima cautione hoc facies. Sunt quidam ēt qui conciliant somnū cū emplastro post coenam tēporibus apposito, quod sic fit: Recipe seminum papaueris albi, nigri, hyoscyami, lactucae, radicis mādragorę, florū violarū an. ʒ. iii. fiat emplastrum, siue linimentum cū oleo violaceo, nenupharino, lacte mulieris, & albumine oui, cū quo vnge tēpora & etiam vniuersum caput si opus fuerit, tonsis etiam capillis. Exulcerationes, praeterea & sitis mala fiunt etiam ex huiusmodi vaporibus excitatis, ita, vt vehemens ariditas linguae & caliditas in gutture, & palato hos locos exulcerando prohibeant saepenumero deglutionem cibi & potus, huiusmodi affectus Arabes alcolam vocāt, & est maximum signum malignitatis, & saepe lethale, notabis tamē & oris, linguae, ac palati ariditatem saepe esse sine aliqua siti, & est signum malum, cum arguat destructionem virtutis sensitiuae membri, succurratur igitur in primis siti assidua oris & gutturis ablutione cum aqua frigida. vel hordei, vel buglossae, vel acetosae, vel cum aliis aquis quibus cum ponantur trochisci de camphora Mesuae, succi granatorum, limonis, vuae acerbae, vel sirupus violaceus, teneātq; in ore reprimentia calorem, vt sunt pruna damascena, & cerasa acria (quas amarascas vel amarenas vocant) & aranciarum substantia

acris, & etiam tempore æstatis grana vuæ immaturæ, & similia, sed inter cætera folia lactucæ in ore detenta sitim optime extinguunt, similiter valet si frustū melonis saracenici (quē nostrates anguriam vocāt) in ore teneatur, vel cucumeris, aut citruli, quoniā infrigidant et prohibēt ascensum vaporū ad caput, qđ si ex dictis sitis non extinguitur, bibatur aqua acetosæ, endiuiæ, buglossæ, cicoreæ, cū aliquo sirupo sitim extinguēte, qualis est sirupus de acetositate citri, limonū, granatorū, quales ēt sunt alii, vel bibat ex potibus & ex iuleb, in cura descriptis. Lingua vero denigrata tergenda est aliquo ingenio, vt puta panno aspero digito inuoluto madefacto in aqua hordei mista cū sirupo acetoso. At, si isto ingenio nigredo nō remouetur, opus est eā remouere aliquo instrumēto leniter abradēte ut puta cochleare argenteo, vel frusto spōgiæ capiti radii alligato, & in aqua hordei, & sirupo acetoso madefacto, linguā, guttur, & palatū tergēdo, hoc idem fiat, si vlcus, quod alcolā vocant, in gutture fuerit, pluries in die, qđ si ista non omnino contulerint optimū remediū est sæpe lauare guttur hoc modo: Recipe aquæ rosaceæ. ℥. vi. albuminum ouorum numero. ii. camphoræ. ʒ. s. misce, & cum hoc sæpe guttur gargarizetur; ad hoc confert etiam hoc medicamen: Recipe seminum sumachi, acetosæ, portulacæ an. partes æquales, bulliant in aqua rosacea & plantaginis, cum qua decoctione os & guttur sæpe gargarizabis, si tamen hoc etiam facto vlcus confirmatur perniciosum est, quoniā arguit maximam vim imprimentis, & imbecillitatem suscipientis; Sæpe etiam cum febre pestilentiali apostemata synanchica, siue anginæ apparent, quibus occurres in primis cum applicatione ventosarum & emissione sanguinis, deinde sæpe gargarizando cum aqua hordei & succo vuæ acerbæ, aut sirupo acetoso, vel cum diamorone, vel cum aqua rosacea & sirupo de glycyrrhiza, teneatq́; ęger semper in ore frustum sacchari fini, quoniam lenit & dissoluit. Notabis semper huiusmodi apostemata mala esse ac perniciosa, vt fuerunt anno. 1535. in quo fuerunt febres pestilentiales quibus cū erant apostemata synanchica, & pleuretica, à quibus pauci euaserunt, & illi quibus vena brachii aperiebatur citius moriebantur. At si tumor supra dictis auxiliis nō dissoluitur aperiatur vena, quæ sub lingua est, & est vltimū remediū. Apostemati vero pleuretico licet venæ apertio, si materia benigna est opituletur, attamē quādo est cū febre pestifera ꝑniciosa dimittēda est & loco ipsius ponātur vētosæ scarificatæ, sæpeq́; reiterētur, vt in Domino Hieron. Sechino feci, qui dū laboraret pestichiis & febre, patiebatur ēt apostema pleureticū, & ꝑ reiteratas appositiones vētosarū incisarū & sanguinis ꝑ eas euacuationes, eua-

sit; dentur etiam ea, quæ sputum facilitant in lambendo qualia sunt saponea, penidii & sirupus de liquiritia. Accidit etiam sæpe nausea, vomitus, dolor stomachi, & casus appetitus, ita, vt inde virtus deficere videatur cum causa omnium istorum, sit materia mala, aut vapor ab ipsa excitatus lædens stomachum. Primum ergo ei succurrimus si ipsam euacuemus, aut à longe trahamus, quare si præsens in stomacho sit, optimum est naturam adiuuare, vt vomitu eã expellat, sicq; cessabunt nausea & vomitus, cum ex sententia Hippocratis vomitum vomitus, & fluxum fluxus sanet; adiuuetur igitur cum aqua tepida, & sirupo acetoso, vel cum decoctione radicum betonicæ & sirupo acetoso, quod si nigrum euomuerit moritur æger, sed si materia in stomacho fuerit, & æger debilis ita vt non toleret laborem vomitus, quoniam dissoluit virtutem, stude eã aliò ducere. s. ad ignobiliora membra, & hoc est ex illis, quæ dicebat Auicenna sub tali serie verborum: Cum materia in hypochondriis retinetur. s. in locis naturalium membrorum, quoniam sequuntur ex ipsa accidẽtia mala, ex difficultate anhelitus, & extremorum frigiditate, & vigiliis, necessarium est regimen trahens ad exteriora. Vt puta post impositionẽ clysteris fiant fricationes cruribus, apponanturq; ventosæ coxis, stomachi interim etiã regionem cum rebus ipsum recreantibus & calorem febrilem extinguentibus fouebis, & inter cætera confert sacculus ex coraliis, rosis, sandalis, labruscæ, ac absinthii comis, compositus & sæpe appositus, intus vero confert si semper detur, terra sigillata, bolus armenius, coraliũ, & fragmenta gemmarum an. ℈.i. cum aqua acetosæ, vel cum sirupo de cydoniis, aut de succo acetosæ, & sirupus de ribes in hoc casu multum confert, confert etiam bibere sirupos de granatis, de succo vuæ acerbæ, de papauere cum aquis buglossæ & aliis sæpe dictis, confert etiam comedere diacitonitem cum saccharo sine speciebus & alia electuaria superius dicta; cogantur, præterea ægri ad sumendum cibum præsertim multi nutrimenti & paucarum superfluitatum, vt sunt iura carnium consumpta, & contusa, quibus cum ponatur semper portio aquæ carnis. At si materia in stomacho fuerit vel in venis stomacho propinquis saluberrimũ auxilium erit eam per secessum leui pharmaco educere, in quo tryphera Persica ponatur, sunt & quam plurima vnguenta & humida fomenta stomacho proficua, quæ nõ sine discrimine cũ febre pestifera applicari possunt, attamẽ ea aliquando fortitudine accidẽtiũ moti medici apponũt, & fiũt ex oleo de mẽtha, rosaceo, de cydoniis, et portione olei ex absinthio aut ex spica, vna cũ coraliis & floribus labruscę, & modico ceræ, ex quibus fit linimẽtũ; similiter fiãt fomẽta si rei

magnitudo postulat, ex decoctione, rosarum, florum labruscæ, menthæ, absinthii, & seminum coriandrorum, & sandali in aqua fontana & portiuncula vini albi pauciferi; sed præter hoc semper virtus instauranda est cibis, ita vt vi dandi sint, si non libenter eos accipiũt, cum dixerit Princeps plurimos euadere, qui viriliter agunt & comedunt. Singultus etiam ex eisdem causis sæpe fit, scilicet ex materia mala in stomacho, vel in eius tunicis imbibita, aut ex vaporibus ab ipsa mala materia excitatis stomachum petẽtibus, & sua malignitate ipsum irritantibus, & est accidens lethale, cui succurratur cum assumptione boli armenii dissoluti in aqua buglossæ, & sirupo de mẽtha & buglossa. Quod si nimis acuta fuerit materia, aut vapores, detur sirupus de papauere, sumat etiam ęger lambendo aquam hordei calidam cum sirupo ex mentha, contineat etiam anhelitum, quoniã dissoluit vapores stomachum petentes. Extra vero si virtus tolerat, neque aliquid intra repercutere dubites, stomachi regionem inunge oleo amygdalarum dulcium, anethino, & de mentha; studẽdum est etiam vt dormiat, quod si alia non conferant detur sirupus de papauere, & etiam requies Nicolai si reliqua nõ prosunt. Per infernas autem partes ad reuocandum etiam materiam & vapores ponantur clysteria lenientia cum aliquali attractione, quare pone in ipsis hierã picram, per os etiam si materiam euacuare desideras, detur manna cum tryphera persica. Fluxus etiã mali in tali febre accidunt cum excoriatione intestinorum ex acuitate & corrosione choleræ, & etiam sine excoriatione, ab aliis humoribus corruptis cum malignitate pestifera stimulante, vel à debilitate stomachi & intestinorũ, ita vt aliquando cibus incoctus in exeuntibus appareat. Istis succurratur diligenter quoniam perniciosissimi sunt, vt testatus est Galenus tertio Epidemiarum, & primo illi fluxui, qui cum excoriatione intestinorum est (quem Græci dysenteriam, Latini vero tormina intestinorũ vocant) cũ regimine medicinali in cibo & potu, & alterantibus materiam & stomachum roborantibus, vt est sirupus de rosis siccis, ex cydoniis ex succo acetosę, de ribes, & similibus, & potus sit aqua chalybeata, cum sirupo ex berberis, vel ex ribes & est præstantior aliis, sunt etiam conuenientes fricationes extremorum ad euocandam materiam, sed præsentaneum auxilium est imponere clysteria, quæ lauatiua vocant, ex decoctione intestinorum hirci, vel capræ, aut arietis castrati, siue capitis eorundem, in qua adde olei rosacei. ℥.iiii. & ouũ vnum contusum cum suo albumine, pinguedinis hirci. ℥.ii. & fiat ex eis clyster, quod tamen dũ imponitur non sit calidum, vt illud æger tenere diutius possit, sed parum supra tepidum, quoniam dolorẽ mi

rabiliter mitigat, & excoriationi prodest. Ego etiam sæpe in vehementi dolore ex oleo rosaceo tantũ clysteriũ imponere iubeo, quod si cum mitigatione doloris aliquam abstersionem desideras, bulliat hordeum in supradicto iure, addeq; clysteri mellis rosacei.ʒ.ii. vel tres & si minorem abstersionem desideras pone saccharum rubrum. At si dolores vehementes sunt & non mitigantur dictis remediis, adde clysteri micletæ Nicolai.ʒ.i. & plus, quoniam dolorem intestinorum remouet præsertim si eam completam administrabis. Exterius vero licet vt dictum est non sine discrimine, illinitiones fiant ex documentis Auicennæ ne materia intus reuocetur, attamen si necessitas vehementis doloris coegerit, fiant cum oleo de cydoniis & rosaceo; quod si validius fomentum desideras, accipe zirbum siue omentum hircinum, vel castrati & apposito oleo rosaceo in patella calefac ipsum, & sæpe ventri apponito. Si vero fluxus fuerit sine intestinorum excoriatione, & sine vehementia doloris, humoralis tamen (quem Græci diarrhœam, Latini ventris profluuium vocant) hic fluxus aliquando salubris est, cum materias corruptas euacuet; quare virtute tolerante nullo modo sistendus est, attamen quoniã sæpe cũ tali febre malus est, necessariũ est ei succurrere in primis virtutem instaurando, & mẽbra debilitata, quæ in causa sunt roborando, quæ cũ plura esse possint & etiã medicis notissima sint, breuitati studens ea minime enumerare decreui, sed auxilia tantum describam; exempli gratia si à capite fluat materia, retinenda est, si subtilis cum diadragantho, diacodione, pilulis bichichiis, aut cum sirupo de papauere; quod si materia mala est, non omnino retineatur, & detur bolus armenius cum sirupo rosaceo in ore, vt eum diu teneat, & lambendo deglutiat, prouocentur sputamina & mucositates narium: membra inferiora, vt est stomachus confortetur exterius auxiliis dictis cum securitate, addendo coralium & oleum mastichinum, per os sumat saccharum rosaceum antiquum, diacydonitem & alia superius dicta. Quod si fluxus ex ventriculi imbecillitate & intestinorum fuerit (quem Græci lienteriam, Latini intestinorum leuitatem vocãt,) in quo fluxu comesta sine coctione per secessum exeunt, quia membra & virtutes languidæ sunt, succurratur cum cibariis quæ ventriculum roborent, vt est caro turturis assatæ, & cum contuso ex ipsa facto, neque hoc in casu assata dimittere debes tametsi duriuscula ad digerendum sint, cum maius sit iuuamentum vnionis stomachi, deturq; vinum de cydoniis, & saccharum rosaceum antiquissimum, & similia. Exterius autem vt dixi vrgente necessitate fiant fomenta & illinitiones cum oleo ex cydoniis, ex absinthio, ex balaustiis, in qui-

bus scilicet fomentis pone absinthium, sandalos, flores labruscæ, myrtilos, rosas, coriandros & similia, cum aqua absinthii & uino rubro stiptico, quod si maiori indiges recreatione utere emplastro ex crusta panis ex intētione domini Barptholomei Mōtagnana in suis consiliis, caue tamen fluxum materierum malarum retinere, ne ipsę retētę ęgrū interimāt. Fluxus etiam sanguinis narium sæpe istis accidit, sepę quidem symptomaticus, raro criticus, qui si cum febre ardēti & putredine choleræ fuerit, & virtutis imbecillitate, perniciosus est, vt vidimus anno illo infelicissimo, in quo plurimi periere cū fluxu sanguinis narium. Ex medicis autem quicūque sperabant ex sanguinis euacuatione remissionem febris, decepti sunt, quoniam febres vt plurimum cholericæ erant, & ideo per euacuationem sanguinis, qui est frænum choleræ, in caliditatem febrilem vehementissimam veniebant, sicq; virtus dissoluebatur, unde ægri peribant; quidam tamen fluxu sanguinis narium euaserunt, quoniam febris erat ex sanguinis putredine, qui tamem paucissimi fuere, sed & plurimi mortui sunt. Neq; hoc est contrarium dictis Hippoc. tertio Epidemiorum, in quo scripsit multos euasisse, quibus superuenit fluxus sanguinis narium, cum febres illæ ut patet ex narratis ab ipso, ex putredine cholerę cū multa sanguinis admistione fuissent, & intra vasa, qui quidē sanguis ad naturā cholerę mutabatur facta subtiliatione a calore extraneo; quare cum esset subtilis facilius ad caput ascēdebat, ac per nares fluebat, ad quam sanguinis euacuationem caloris febrilis remissio sequebatur, cum sanguis esset materia pro maiori parte febris, qui mutatus in choleram, calorem & accidentia febris intendebat; Ex eo nanq; sanguine si parum exibat moriebantur, quia non euacuabatur quantitas, quæ corpus refrigerare posset, immo subtiliatus sanguis & calefactus mutabat spiritus, sicq; peribāt. Quapropter semper fluxus sanguinis timēdus est quoniā si nimis fluat tametsi sanguis malus sit, uirtutē dissoluit, si vero retineatur cū sit affectus mala qualitate pestifera interficit, & ideo in tali euacuatione uirtus ponderanda est, quæ si fortis fuerit & sanguinis mali abundātia appareat, tunc exire dimittatur ad quantitatē tolerātiæ virtutis. Neq; in hoc certa regula dari pōt, semper tamen virtuti attēdendū est cū cibariis & reliquis quę si nō tolerat, & sanguis, qui fluit bonus videtur, ac per eius exitū minime ægrū refrigeratur sed potius inflammatur & accidētia mala intēdūtur, ut est animi defectus & alia, iste fluxus sistēdus est omnibus ingeniis. s. cibis viscosis, & potu, in quo semina sumachi coquantur, in qua decoctione ferrū extinguere mirū in modū cōfert. Et fricationes ac ligaturę extremorū ad diuertēdū laudatissimę sunt, similiter appo

sitio ventosarum in extremis & maxime sub poplitibus, & natibus, & spatulis, & inter cætera appositio ventosæ in regione iecinoris, sæpe sanguinem sistit. At si istis non retineatur, applicetur fronti illinitiones factæ ex bolo armenio, sanguine draconis, lapide hæmatitis, chimolea & albumine oui, & aqua rosacea, cum portione aceti. Quod si vena aliqua in inferioribus nasi partibus disrupta fuerit, fiat ex coctono tenta oblonga & in dictis pulueribus cum albumine oui intincta naribus imponatur quoniam proculdubio sanguis sistetur & ad causam intrinsecam remouendam dentur bis in die sirupi tales: Recipe sirupi ex myrto, ex succo acetosæ, cum aquis portulacę, caudæ equinæ, plantaginis; si vero fortius medicamen desideras dentur trochisci ex terra sigillata, vel ex Karabe & sunt experti: sunt & alia, quæ proprietate sua sanguinem sistunt. vt est lapis iaspis collo appensus, aut manibus detentus, caue tamen materiam malam retinere si fluxus criticus fuerit, & virtus eum toleret. Neque omittenda sunt sæuissima accidentia, quæ etiam cum tali febre sæpissime apparent, & sunt alienationes siue deliria dixeris non refert, cum vigiliis sæpe, & etiam multoties cum somni profunditate, & sunt sæpe signa apostematis cerebri, aut myningarum ipsius, quæ quidem apostemata aliquando de genere calidorum sunt, & aliquando frigidorum, interdum etiam composita, quare de auxiliis vtrorumq; simul sermo erit. Sed quoniam sæpe accidunt deliria sine cerebri, aut panniculorum ipsius apostemate, & est accidens insequens ipsam febrem ex vaporum excitatione, petentium diuersas cerebri partes, ita, vt si partem anteriorem lædant male imaginentur, si vero mediam male discurrant, at si posteriorem lædant male memorentur, atque ita, vt sæpissime non recordentur puta se matulam, siue vas vrinale petiisse, quoniam mingere volebant & immemores nihil petiisse dicunt, similiter in aliis operationibus. Attamē cessante euaporatione a caliditate febrili facta, bene imaginantur, bene discurrunt, & etiam memorantur, quibus sic apparentibus, dicimus cerebrum pati per consensum, & non per essentiam, igitur opitulemur istis cum illis, quæ calorem febrilem extinguunt & vapores ad caput ascendere prohibent, vt sunt sirupi sæpe dicti, fricationes extremorum, & ventosarum appositiones. Et inter cætera assidua gutturis collutio cum rebus infrigidantibus & quæ sitim extinguunt, vt est aqua frigida maxime confert, quod si ex nimia caliditate & siccitate in velaminibus siue myningis, & cerebro impressa dormire non possunt, fiant linimenta temporibus & alia superius dicta ad somnum conciliandum. Quod si e contra fuerit, scilicet vt

ex va-

ex vaporibus crassis ascendentibus in somnum profundum incidāt ita vt veluti stupidi videantur, hoc accidens verendum est, quoniā sæpissime ad apostemosam ægritudinem terminare consueuit, ideo ne ad talem dispositionem, quæ cum maximo discrimine est, deueniant, succurratur cum enematibus, siue clysteribus fortibus, puta factis cum decoctione mercurialis, siclæ, betonicæ, maluæ, seminum chartami & furfuris, in qua ponatur hiera picra, vel hiera logodion, ab. ℥. i. usque ad duas, cum. ℥. s. salis gemmæ, &. ℥. iii. olei & totidem mellis rosacei, vel fiant suppositoria cum melle & specierum prædictarum hierarum. ʒ. i. & salis gemmę. ʒ. s. fiant etiam ad diuertendum fricationes & ligaturæ fortes cruribus & brachiis, apponanturque ventosæ natibus scarificatæ, fricationes fiant etiam plantis pedum, cum sale uel alia re aspera, naribus vero propinentur, quæ dissoluāt vt est acetum per se, aut cum castoreo dissoluto, præsertim si nimis profundus fuerit somnus, abstineatq; ab illis frigidis, quę ad caput euaporant, vt est lactuca, poma, & similia. At si alienationes, vel deliria & alia superius dicta, non tantum ex vaporibus excitatis fuerint, verum etiam ex præsentia materiæ in mēbro infixæ, ita, ut affectum apostemosum calidum, uel non calidum, aut compositum ex diuersitate humorum causet, ea quoniam ut plurimum perniciosa sunt, egent ultima cura & diligentia. Quare cum videris, dolores capitis, vigilias, ariditatem, & nigredinem linguæ, oculorum ruborem, durities pulsus, & alienationes continuas, cum tali febre, dic iam apostema calidum in myningis, seu in substantia cerebri esse, quod secundum vero uehementiam maiorem aut minorem accidentium, maiorem & minorem quantitatem choleræ cum ipso sanguine admixtam esse iudicabis. Igitur præmisso regimine ei occurres cum oxyrodino, ex duabus partibus olei rosacei, & una aceti albi, cum portione aquæ rosaceæ, in quo infusum panni lini, sæpe cōmissuræ coronali capitis apponatur, tonsis tamen prius capillis; fiant etiam fricationes extremorum, & prouocetur somnus cum odoramentis frigidis & humidis, vt sunt violæ, nenuphar, lactucæ, sparganturque flores & folia dicta per lectulum & thalamum: fiant etiā strepitus aquæ frigidæ descendētis per situlam suspensam, & habentem cannulam angustam, vt aqua guttatim descendendo peluim æneam resonantem percutiat, maneant in loco minime luminoso, & sæpissime aqua fontana asperso, & omnino somnus prouocetur cū iā dictis superius vnctionibus scilicet cum vnguento populeone & emplastris & foliis lactucæ & exhibitione syruporum & emulsione seminū papaueris albi. Et, nisi timor esset in apertione venę de

reuocatione materiæ uenenosę ad cor, præsentaneum auxilium esset venam cephalicam brachii in primis secare, subinde perseuerantibus alienationibus & aliis accidentibus ex vena frontis sanguinem mittere, & ultimum & certissimum auxilium esset. Ego alienis periculis cautus nunquam venam brachii in talibus aperire ausus sum, sed loco apertionis venæ appono ventosas natibus, spatulis, & dorso scarificatas, & sanguinem in notabili quantitate per eas euacuo, præsertim si pestichię apparent; vel si hæmorrhoidas innatas habet, per appositionem hirudinum siue sanguisugarū super ipsas venas, sanguinem pro diuersione euacuo, deinde ventosas scarificatas natibus & spatulis appono, mox iterum hirudines post aures pono & etiā sanguinem ex naribus euacuo aliquo ingenio, sagitella scilicet vel alio instrumento, at si istis non alleuetur æger, venam frontis aperire iubeo, & est vltimum & pręsentaneum vt dixi remedium, habeāt isti quotidianam ventris euacuationem cum clysteribus & suppositoriis superius dictis, quod si humores mali plurimi fuerint & virtus sit fortis, potes purgare medicamine debili forti vt verbis Auicennæ vtar, puta cum cassia & sirupo rosaceo solutiuo, & in ultima morbi malitia dixit Hippocrates vltimas medicinas valere, & ideo potes dare electuarium rosatum Mesuæ. At si apostema confirmetur administranda sunt fomenta commissuræ coronali capitis quæ molliant, & resoluant, vt verbi gratia: Recipe betonicæ, chamomilæ, melliloti, rosarum, lactucæ ana manipulum .i. bulliāt in aqua cōmuni, in qua dum calida est infundatur spongia, & capitis cōmissurę coronali apponatur calida caliditate temperata; sunt etiam qui accipiunt columbum viuentem & scindunt ipsum secundum dorsum, & extractis visceribus calidum super dictam cōmissurā ponunt, sæpeq; mutāt; hoc idem faciunt cū pulmone arietis calido nouiter ex animali iugulato extracto, & cum hæc infrigidantur, calefaciūt tam columbum, quā pulmonē in supradicta decoctione & iterū apponunt, attamē paucissimi immo nulli euadūt ab apostemate cōfirmato, fortissimis auxiliis etiam factis vt est venę apertio, quæ in febre pestilentiali post tertium diem non sine maximo discrimine aperitur. Sæpe etiam in tali febre ex crassiori materia fit apostema frigidum in velaminibus siue in substantia cerebri, cui antecedunt tremores quidā in capite, ac pigritia & difficultas motus omnium membrorum, & cum iam materia collecta est, fiunt somni graues, stupores, obliuiones, & grauitas capitis, cum albedine linguæ & vrinæ retentione ex obliuione, sæpe etiam inuoluntariè mingunt, sudant etiam aliquando sudore frigido, cum quo virtus dissoluitur, & pereunt.

Succurratur igitur istis, euacuando, & diuertendo cum pilulis cochiis, & fricationibus, & ligaturis extremorum membrorum, ac per appositionem ventosarum, neque permittere oportet eos in somnum profundari, sed eos expergefacere oportet, cum aceto naribus apposito, in quo etiam castoreum dissoluatur, fricabis etiam plantas pedum cum sale, vel alia re aspera, locus sit luminosus, & imponantur clysteria acuta & suppositoria superius dicta. Et si inclinetur ad vomitum fac eum euomere cum impositione pennæ in gutture, quoniam mirum in modum confert. Præterea ponatur super cõmissuram coronalem oxyrodinum factum ex duabus partibus aceti albi & vna parte olei rosacei, & æquali portione olei chamomelini, in quo sæpe ponimus pannum lini madefactum & calidum coronali cõmissuræ administramus, quod si non iuuerit, addatur illi castoreum, fiantq; sternutatoria cum euphorbio, & fricetur caput in loco cõmissuræ coronalis & aliis cum sinape, castoreo, & aliis, quæ locum rubrum faciunt, & ad resoluendum adiuuent, similiter fomenta dictis locis fiant, verbi gratia; Recipe saluiæ, betonicę, stœchados, samsuchi, chamomilię, calamenti ana partes æquales, bulliant in aquis betonicæ & saluiæ; fiant etiam caputpurgia, quæ per nares iniiciantur sirynga hoc modo: Recipe succi siclæ, maioranæ, & rutæ ana partes equales, potus sit aqua aut aliud secundum vehemẽtiam febris maiorem & minorem, & quoniam hæc dispositio sæua est, semper aliquid agere oportet ne materia figatur. Composita etiam aliqua apostemata in tali febre suboriuntur ex diuersitate materiæ in caliditate & frigiditate, crassitie & subtilitate, & aliis, quare diuersa in istis apparent accidentia, aliquando etenim vigilant ægri, aliquando in profundum somnum incidunt & aliquando simul duas uidentur habere dispositiones, scilicet impotentiã dormiẽdi & inclinationem ad somnum, ita vt oculos eleuare non possint, attamen dormire nequeunt, neque vigilant omnino ex diuersitate materierũ quæ sunt simul mistæ, quarum altera alteri minime prædominatur, hoc compositum operationum impedimentum fiat; Prętereа etiam sæpe fiunt muti, surdi, & ferè in omnibus tam extrinsecis quã intrinsecis sensibus deficiũt, sed qualiscunq; fuerit materierũ permixtio, cõe est omnibus est omnibus mentis delirium, insania, et amentia cum quodam stupore. A quibus compositionibus, diuersis cum accidẽtibus, diuersa nomina sortitus est huiusmodi affectus, alii nanque phrenitidem lethargicam, uel lethargum phreniticã vocãt, alii catalepsim comaticum, uel cataphoreticam dicunt; sed quoniam quæstio hæc de nominibus est, dimittatur; et curã ipsius ꝓsequamur

secundum materiam exuberantem; nisi ergo apertio venæ, vt sæpe dictum est, in febre pestifera perniciosa sępisſime visa esset cuius causam perpulchre iam diximus, quacunq; mistione data præsentaneũ auxilium esset venæ cæphalicæ brachii apertio, & inde sanguinem copiose mittere, sed cum periculosum sit, ideo loco ipsius purgentur pilulis cochiis & aliis secundum exuberantiam humoris, apponanturq; ventosæ natibus, dorso, & spatulis scarificatæ, & sæpe reiterentur; fiat preterea oxyrodinum permistũ cum oleo rosato & chamomelino & rutaceo secundum dominium humorum, ponanturq; sanguisugę hæmorrhoidibus & post aures, & procuretur vt sanguis ex naribus fluat; postremo istis non conferentibus aperiatur vena frontis, fiant fomenta superius dicta cõmissuris capitis, & caputpurgia et sternutatoria secundum dominium materię, & tempus apostematis. Sed quoniam præter illa accidentia, quæ in febribus pestilentialibus contingere hucusque diximus, nouum quoddam accidens occurrit, quod quidem his nostris regionibus familiare non est, Britanniæ tamen, & inferiori Germaniæ, ac etiam Galliæ ab hinc aliquot annos uisum est esse commune. Est autem accidens illud sudor, & hic quidẽ valde immoderatus, uinctusq; unà cum cordis pulsu, & lipothymia, atque totius corporis languore, perdurans etiam & indeficiens usque ad febris solutionem, & ob id hæc febris sudorifera, & sudorinus morbus cognominata est. Solutio uero unius diei febris aut duorum spatio fit, per quam liberi euadentes à febre ita languidi fiunt, vt per plurimos menses primariis membris imbecilles remaneant, qui tamen, si dum ægrotarent illis suppressus fuisset sudor, illico interiissent. Quapropter illarum regionum Medici iubent laborantes ea febre illo sudore associata bene cooperiri, ut per hoc sudorem augentes naturæ opitulentur, interius uero simulq; etiam exterius ea, quæ roborant cor administrant. Ego quoque, cum iudicem modum istius febris esse pestilentialem, existimo sudorem illum nullo modo sistendum aut retinendnm esse, iudicium autem meum hac ratione potisſimum confirmari potest. Nisi enim sudor liberè egrediatur est in causa quod ęgrotantes intereunt: quod quidem ostendere uidetur speciem quandam ueneni humoribus putrescentibus inesse, sudor autem copiosus non aliunde prouenire uidetur quàm ex hoc quod materia putrescẽs per uniuersas corporis extremas partes, uenenosam qualitatẽ ex ebullitione cõtraxit. Natura ergo, quæ semper intendit mũdificare sanguinẽ, insurgit quãtum põt, & incessanter conatur excremẽtũ quartæ digestionis, quod sudor est, expellere, in qua quidem operatione iuuare naturam debe

mus, non modo non prohibendo sudorem, verum etiam, eum euocando, siue prouocando, adhibitis præterea remediis tam intus quã extra, quæ uirtutem roborare & cor confortare possit, de quibus superius abunde loquuti sumus, iam vero satis sit admonuisse iuuenem medicum, si foret ipse aliquando in curam huius febris uocatus. Hoc unum tamen semper aduertat ne virtus dissoluatur per sudorem, quia cum virtus à sudore dissoluitur, res penitus sine spe est, quicunque enim ita se habent cum extremorum frigiditate moriuntur, nullumq; habent pulsum in brachiorum arteriis, uel, si quẽ habent, ille ferè insensibilis est: Reliquorum vero accidentium, quę in hac febre contingunt, qualia sunt, præter pulsus frequentiam & diuersitatem, cordis pulsus, lipothymia, & totius corporis languor, curam hoc loco scribere non laborabo, cum illam in superioribus exposuerim. Et hęc satis dicta sint de cura accidentium febrem pestilentialem insequentium, quæ accidentia quoniam sunt & aliis febribus communia, de ipsis sub vno capite scripsi vt ordo aliquis seruetur, quando de propriis, quæ solam febrem pestilentialem sequuntur, post ista scribere decreuerim.

De pestichiis morbillis, variolis, ac aliis cutaneis papulis, & maculis, & eorum differentia. Cap. 4.

NOn desunt apud modernos, difficultates de cutaneis maculis, papulis, siue pustulis & quibusdam tuberculis, quæ sæpissime in febre pestilentiali apparere consueuerunt, & maxime temporibus nostris, hæc omnia & alia visa fuerunt ab antiquissimo, ac doctissimo Hippocrate in diuersis tum temporibus, tũ etiam epidemicis constitutionibus, vt patet legenti primum Epidimiorum in secundo languente, & hæc sunt verba: Octaua frigidum per totum sudauit & pustulæ rubræ rotundæ varis similes cum sudore pulularunt, quæ permanebant. Et secundo Epidimiorum sic scripsit: Corpus quorundam in febribus æstiuis exasperatum est milio, culicumq; morsibus simile non cum multo pruritu, quod durabat vsque ad decretorium diem; & quinto epidemiarum has papulas culicum morsibus similes etiam scripsit. Galenus quoque quinto Artis curatiuę has pustulas & maculas in febribus pestilentialibus vidisse testatur, ubi narrat accidentia cuiusdam iuuenis, de quo supra dictum est, qui tussiculam patiebatur, & inquit huic iuueni accidisse pustulas sicut in aliis apparuerunt in graui illa pestilentia, quodque eius totum corpus scatebat pustulis, & paulo post inquit

eos qui sanati fuerunt in pestilentia, ex laryngis vlcere, vel vomitu, vel profluuio ventris euacuationem habuisse. Qui cũ ita essent euacuati, illis, qui euasuri erant superuenerunt pustulæ nigræ, quas exanthemata vocant, per uniuersum corpus, plurimis vlcerosæ, multis siccæ, quod erat signum reliqui sanguinis putrescentis in ipsa febre maligna, similiter in cõmentariis librorũ Epidemiorum, & in libello de Differentiis febriũ, has maculas, papulas & alias pustulas se vidisse refert; Et nos quotidie eas in istis febribus vidimus, tametsi diuersa nomina in diuersis regionibus sortitæ sint. Vulgares vero in quàmplurimis locis Italiæ, has papulas & maculas, siue eminentes fuerint, siue non, sed latæ vel paruulæ sicuti morsus culicum, demptis eminentioribus, quas variolas, & illis quas ipsi fersas, medici vero morbillos vocant, pestichias vocitant, & hoc quoniam sunt maculæ, vel papulæ pestilentiales, quæ sunt idem cum morbillis in materia si magis & minus non mutare speciem concedamus. Differũt autem ab illis subtilitate vel admixtione, & quoniam ex alteratione aeris pestilentialis fiunt sæpe, morbilli vero prę ter alterationem perfectiuam sanguinis fiunt ipsum mundificando, vt dicam in processu. Et quoniam Græci ferè omnes, aut nihil, aut parum, aut valde mutilum quid de huiuscemodi pustularum pestiferarum cognitione tradiderunt, ideo siquis hanc indagationem medullitus perficere desiderat, & causas, & signa, & curam ab ipsis doctissimis Arabibus accipiat, & præsertim a doctissimo Auicẽna, qui omnibus præferendus est, & doctrina, & ordine & complemento, quoniam multa a Gręcis prætermissa addidit, & compleuit, vt clare patet in febre pestifera, & cura variolarum & morbillorum, tametsi variolæ & morbili sine contagione aeris pestilentialis eueniãt, & maxime pueris. Ii igitur, qui veræ medicinæ finem cõsequi desiderant, qui est cõseruare sanitatẽ, & amissam recuperare, si doctissimos Arabes prætermittant, aut difficulter, aut nunquam ipsum attingunt; quod si etiam Latinos ad complementum legant, qui multa etiam addiderunt & compleuerunt, quoniam non omnia possumus oẽs, omnia consummabunt & perficient, quoniam scientiæ fiunt per additionem. Rogo igitur scribentes post me vt meliora inuestigare, et experimento comprobare velint, addantq; nostris scriptis sine æmulatione, Deus enim ueritas est, & qui veritatem scribunt, deũ laudãt, prædicant, honorant, & colunt, contrarium faciunt qui falsitatẽ. Ex his igitur, macularum, papularum, & pustularum in febre pestilentiali quid nominis, & quia est, satis probatum esse puto, & etiam quod antiquum est eorum esse, ut ita dixerim; Sed eorundem essentiã per

diffinitionem vel breuem descriptionem audi, incipiam igitur a variolis ita ipsas describendo: Variolæ sunt pustulæ siue tubercula eminentia, quæ ex sanguine impuro in pueris & iuuenibus vt plurimum fiunt, ac naturaliter ferè omnibus eueniunt, ex ebullitione sanguinis, per quam sequestrantur partes malæ nutrimenti recepti in vtero, vel lactis accepti dum lactarent, quod quidem lac fit ex sanguine, qui singulo quoque mense euacuatur, & non expoliatur ab aliqua particula & crassa & mala, quare cum natura semper sanguinem mundificare intendat & ipsum perfectum reddere, ut dicebat Galenus in libello de Cholera nigra, contra euacuationi preparatum insurgit, quem à venis tanquam malum expellit, & hæc expulsio non fit sine humorum ebullitione & febre; inquit Auicenna capite de variolis, in succis post ebullitionem sequestrantur partes fæculentæ, & subtiles remanent post ebullitionem puræ, vt contingit in ebullitione musti, quoniam post eius ebullitionem pars crassa sequestratur & subtilis remanet, & est vinum purum, & ista dicitur ebullitio perfectiua, similiter fit in sanguinis ebullitione, nam partes crassæ & fęculentæ exeunt, tanquam quoddam destitutum a natura, & minus ad nutriendum aptum, sic quæ fiunt pustulæ, siue bothores per uniuersum corpus & maiores & minores & numerosiores secundum materiæ malæ, & fæculentæ quantitatem, & ista pro declaratione essentię variolarum satis esse puto; iã vero morbillorum descriptionem sic prosequar: Morbilli sunt pustulæ paruę sine notabili eminentia ex cholera, siue ex materia, in qua pro maiori parte cholera dominatur, in pueris & iuuenibus vt plurimum naturaliter euenientes cũ ebullitio fit in sanguine subtili cholerico, vt partes malæ separẽtur, quę vel in vtero vel ex nutrimento lactis cõmixtæ cum sanguine existentes receptæ fuerũt, eæ vero variolæ & morbilli sic uenientes non sunt accidentia febris pestilẽtialis sed naturalis quędã expulsio & sequestratio sanguinis mali a bono, quod nõ fit vt dictum est sine febrili alteratione, quæ non perniciosa est, cum vt plurimum & pueri & alii, qui per hunc modum patiuntur, euadant. Attamen ægritudo contagiosa est, quæ transit de homine in hominem & põt postea in corpore plethorico & cachochymo etiã sine exterioris aeris dispositione febrem malignam perniciosam cũ accidentibus pestilentialibus causare, & eam plurimis communicare & sic erit pestilentialis per cõtagionem aeris infecti non secundum totam substantiam, sed secundum aliquam particularem alterationem aeri commixtam. Ex dictis facile solui potest quæsitum a medicis scribentibus & non discussum, scilicet vnde est, quod pue-

ris & iuuenibus siue adolescentibus, primo & pro maiori parte appareant variolæ, quæ fiunt ex superfluitate sanguinis, deinde natura in alio tempore & aliquando multo post quærente vltimam mūdificationem superueniunt morbilli, qui fiunt potius ex materia cholerica, nam cum humor cholericus sit magis expulsioni paratus deberet prius expurgari & sanguis posterius. Et si responsio in verbis ipsius Auicennæ sit, quam scribentes ferè omnes non intellexerunt, ideo eam hic claram ostendam, stando in exemplo ipsius Auicennæ de succis & musto, nam in ebullitione musti naturali, natura intendit puriorem partem succi vuæ conseruare, crassam vero tanquam malam relinquere, vt purum remaneat vinum, clarum, & subtile, fæculentum & crassum in fundo pellendo, similiter fit in pueris & adolescentibus, nam in vtero materno nutritur infans ex sanguine menstruo non ex crasso illo fæculento, sed ex subtiliori, cui proculdubio aliqua particula ex crasso illo commista est, similiter post partum lac ex quo infans nutritur generatur ex eodem sanguine, in quo aliquid impuri sanguinis est, cum enim partes puriores tam sanguinis menstrui, quam lactis in substantiam membrorum conuertantur, impuræ & crassæ cum reliquo sanguine remanent. Quare istæ tempore, quo natura eas euacuationi præparauit, sequestrantur & expelluntur a puro & subtili sanguine, qui est ille, quem conseruare natura intendit vt in musto vinum, ex quibus partibus crasßis & fæculentis extra pulsis fiunt variolæ primo, neque recte operaretur natura si primo subtiliorem & cholericum superfluum sanguinem expelleret, exquo fiunt morbilli, attamen fieri potest, quod in sanguine menstruo uel in lacte infantem nutriente, non fuerint eæ partes crassæ fæcales sed subtiles quædam, sicque in ebullitione sanguinis primo expellentur, & superuenient ex illis morbilli, sed hoc raro fit, at si fuerint partes quædam aquosæ erunt vesicæ, & sic secundum diuersitatem superfluitatum. Ex dictis facile dici potest cur post uariolarum apparitionem natura expellente fiant morbilli, nam cum iam primo mūdificauit sanguinem a crasso & fæculento, si qua mali sanguinis pars est, illa quidem subtilis erit choleræ naturæ scilicet, quæ expulsa facit paruas illas pustulas, quas morbillos vocant. Quod si diuersas habuerit cum aliis humoribus admixtiones, tam variolæ quam morbili fiēt & erunt in colore etiā diuersæ secundum humoris prædominium, puta si sanguinis dominium fuerit erunt rubræ, quod si choleræ erunt rubræ tendentes ad citrinitatem, quod si phlegmatis erunt tendentes ad albedinem. At si melancholię dominium fuerit erunt nigricantes, seu liuidæ, &

istæ sunt deteriores ac perniciosæ, similiter & cum aliis humoribus non naturalibus sæpe fiunt admistiones, vt est cum cholera adusta, vel phlegmate salso & aliis, quæ diuersificabuntur & in colore & in aliis accidentibus secundum naturam humoris non naturalis. Omnes autem sunt malę, sed deteriores & perniciosissime sunt, quę cum cholera adusta prassina, vel ęruginosa admistæ sunt, a quibus nullus euadit, & hæc satis de modo generationis & materia tam variolarum, quam morbillorum sine aeris exterioris alteratione. Nũc autem ad illum modum, per quem in febre pestifera accidunt tubercula, & aliæ maculę cutaneæ, quas pestichias vocaui, descendam, qui est ex aeris, terræ, vel aquæ substantiæ corruptione. Apparent etiam sæpissime in febribus pestilentialibus, pustulæ, papulæ & aliæ diuersæ maculæ cutaneæ de quibus principalis est nostra intentio, cum & malæ & perniciosæ sint. Igitur aliquando in tali febre variolæ exeunt, sæpe morbilli, sæpissimæ maculæ diuersæ colore & quantitate, quas pestichias congruo nomine sæpe nominari dixi, etenim aliquando latiores, aliquando minores apparent, ita ut discerni nõ possint, & aliquando paucæ in numero, aliquando numerosissimę, & sæpe subcutaneę sunt ac si videas eas coopertas velamine quodã per uniuersum corpus, quod fit aut debilitate virtutis non potentis omnino expellere, aut densitate cutis, aut crassitie materiæ, aut ex omnibus, & est semper malum; Differunt a superioribus hæ pustulæ et papulę ac maculę, quoniã priores non fiunt ab alteratione exterioris aeris primo, & quoniam habent materiam connatam, quam natura pellit. Istę vero fiunt ab alteratione aeris & aliorum, vt supra dictum fuit, scilicet cibariorum malorũ & reliquorum, quę oĩa humores etiam bonos aut humiditates alias, & membra & uapores, & spiritus mutant ad venenosam qualitatem, & utcũque fuerit, siue humor, siue alia res fuerit, fit malignus malignitate noua a causis iam dictis, & hęc est ratio quod variolę, morbilli, & aliæ cutaneę infectiones, quæ fiunt in febre pestilentiali, sunt deteriores prioribus, & magis perniciosę. Notabis etiam quod materia istarum pustularnm & papularnm est eadem cum materia faciente apostemata magna pestilentialia, differt solum secundum locum, quoniam quę emunctoriorum apostematũ causa est, in venis magnis illis correspondentibus fuit, quę vero pustulas & maculas facit ad paruas & exteriores et cuti propinquas venas a natura expellitur. Pręterea pustulę dictę omnibus corporis partibus indifferenter euenire possunt, et in quocunque anni tempore, sed potissimum ęstate, fiunt etiam pestichię a quacunque humorũ euaporatione, sed potissimę ab euaporatione chole

ræ, quæ non solum exteriorem cutem inficiunt sed etiam intrinseca membra, vnde sequitur delirium, animi defectus, tussis, nausea, singultus, fluxus ventris & alia, & ea ratione accidentia istarum infectionum sunt mitiora accidentibus apostematum, quia sparsa & subtilis hęc est materia, illa vero vnita & crassa. Præterea, pestichiæ sunt minus periculosæ apostematibus magnis emunctoriorum & carbūculis, quoniam horum materia sparsa est per venas vniuersi corporis, illorum vero in maioribus est, per quas facile suam malignitatem cordi communicare potest, immo audeo unum dicere raro scilicet perire habentes pestichias si recte ab astantibus, & medicis tractentur, nisi sint ex materia multa & venenosa vltima venenositate, vt sunt virides, violaceæ, & nigræ, quæ fiunt a cholera adusta zinaria vel æruginosa, de qua supra abunde dictum est, a quibus coloribus sumendum est iudicium malignitatis maioris & minoris & etiam perniciei, ut superius dictum est, ita vt ex iis, qui habent virides, aut violaceas, aut nigras pestichias; nullus ferè euadere visus sit, sudant enim sudore frigido resolutiuo ex cordis vltimo labore. Dicamus igitur pestichias esse infectiones cutaneas venientes in febribus pestilentialibus indifferenter per vniuersum corpus, & maxime in pectore et dorso, per modum cuiusdam crisis, quę vera non est, ex materia venenosa diuersa subtili, vt plurimum a causa malignitatis aeris, vel alterius rei malæ, contra quam insurgit natura, quæ semper aduersatur causis ægritudinis tanquam antagonista, vt expellat materiam malam a corpore, factam a causa exteriori et non connata, quæ expulsio non est perfectiua, sed vt contrarium malum et perniciosum humorem natura irritata a contrario venenoso expellat. Maculæ autem si diuersæ in colore et aliis accidentibus sæpe apparent, hoc esse sciuisti ex maiori vel minori materiæ crassitie et admixtione aliorum humorum ita vt aliquādo eminentiores, et aliquando depressiores sint, et aliquando cum pruritu et inflammatione et aliquando non, omnes tamen siue promineant siue non, siue asperam reddant cutem, siue nō, sub una deffinitione seu descriptione ponere volui, cum earum differentia non sit nisi secundum magis et minus, cumq; unam habeāt communem causam materialem, quæ est humoralis massa alterata, a qua subtiliores partes excitantur, vnam etiam causam efficientem habeant, quæ est pestifera qualitas. signa vero ex dictis satis patent tam prognostica, quā demōstratiua, de illis autem quę ex uaporibus eleuatis in febribus sine qualitate pestifera fiūt, Arabes esseras vocant, quoniam minime perniciosæ sunt, nihil dicam, quare dicta satis sint.

De cura pestichiarum, & papularum & morbillorum & variolarum pestilentialium. Cap. 5.

QVæstio non parua est inter modernos de modo procedendi in cura pestichiarum, papularum & cutanearum infectionum, quę fiunt in febre pestilentiali. Multi vero moti auctoritatibus quorundam antiquorum scilicet Arabum & Latinorum iubent à principio aperire venam, existimantes recte operari si auctoritate alicuius eminentissimi medici operentur. Sed parcant mihi hi homines quoniam regularis operatio est illa, quæ ratione & experimento comprobatur, vt testatus est Galenus primo Aphorismorum commento primo, & etiam in libello de Sectione venæ contra Erasistraticos, qui sola auctoritate operabantur, & ipsam tanquam principium suarum operationum habebant, ex qua plurimos errores cōmittebant, quare ne nobis etiam errare contingat, cum occasio sit præceps primo Aphorismorum, diligenter omnia perpendenda sunt, ita vt non solum ægritudinem & causas cognoscamus, sed etiam quædam accidentia sequentia, quæ sua malignitate sæpe principalem curæ intentionem remouent, vt docuit Galenus de cura febrium continuarum ad Glauconem per longum examen dicens, non debere aliquem ad febrem intendentem solam multitudinem humorum euacuare, sed primo considerare accidentia, quæ sæpe prohibent euacuationem, quam natura non posset tolerare sine maximo discrimine. Quare primum accidentibus intendendum est si fortia & cum discrimine fuerint, postea si reliqua consentiunt ad ægritudinem ipsam per remotionem causæ deueniendum, & addit, qui aliter fecerunt scilicet euacuantes aut per fluxum ventris aut per venæ apertionem in maximis discriminibus ægros posuerunt, ducentes ipsos ad virtutis debilitatem, quare non oportet medicum esse præcipitem, sed vt omnia ante perpendat. Præsertim cum pestichiæ & morbilli ac aliæ infectiones cutaneæ febribus superueniunt, quoniam sunt à natura per viam cuiusdam crisis expulsæ & sæpe symptomaticæ, de cuius proprietate est virtutē imbecillem reddere sua venenositate, quare istis duabus causis cognitis apertio venę non conuenit, quoniam impeditur natura, expellit materiam ad ignobiliora membra, & sanguinem euacuando virtus sæpe imminuitur, sed vlterius procedendo non semper venæ apertio in febribus non intermittentibus, tametsi materia intra venas putrescat, conuenit, quoniam quando febres fiunt ex aeris rabiositate (vt ita dicam) inflammantis sanguinem cum qualitate pestifera, quæ semper virtutem debilitat, nec parua nec copiosa san-

guinis euacuatio apparentibus maculis conueniens est, mitto multa alia accidentia febrem pestilentialem concomitantia, quæ sanguinis missioni minime consentiunt, vt est stomachi fastidium. dicebat.n. Auicenna caue ne fastidium phlebotomes, fluxus ventris, animi defectus, & alia, quæ exteriora, vel connata sunt, vt est imbecillitas naturalis complexionis & anni tempus si nimis calidum vel frigidum fuerit. Notabis tamen aliquando venæ apertionem posse conuenire, verbi gratia si patiens fuerit iuuenis, sanguineæ temperaturæ, fortissimæ virtutis, & plenus malis humoribus, præsertim sanguine putrescente intra venas. Ego istis omnibus apparentibus á principio audeo venam aperire, & cum maxima repletione & virtutis robore etiam post quartam quosdam phlebotomaui, non semel tantum, sed bis, & ter, quibus etiam ob multitudinem humorum dedi etiam eductiuum eorum per secessum, ac etiam ventosas scarificatas spatulis & dorso apposui & procedente morbo sanguisugas sedis venis (quas hæmorrhoidas vocant) applicui, qui euaserunt & viuunt. At quoniam non omnes ægrotantes & robusti & talis temperaturæ vná cum reliquis dictis, sunt, ideo cæteris non ausus sum sanguinem mittere pro pestichiarum auxilio, etenim alienis periculis & erroribus didici, qui vero me cum antiquis non sentire credunt, in maximo versantur errore, quoniam hæc mea est antiquorum & modernorum recte scientium opinio, quoniam dixit Auicenna de cura variolarũ & morbillorum, oportet in cura variolarum & morbillorum incipere á venæ apertione, si conditiones fuerint. Nota quod ista regula est propositio conditionalis, vt more dialectico loquar, quæ nihil ponit in esse, & ideo ad veritatem ipsius necessariæ sunt conditiones, sæpe á principe dictæ, & á me auctoritate Galeni & aliorum comprobatæ, prima quarum est repletio vehemens sanguinis & principium ægritudinis antequam natura mouerit, & apparuerint variolæ, & morbilli, qui aliter faciunt non sine maximo discrimine operantur, alias conditiones tanquam notas subticuit Auicenna, & sunt fortitudo virtutis, ætas consentiens, corporis habitudo, tempus anni; & reliqua sæpe dicta. Quare cum antiquis conueniens præmisso aeris regimine sæpe dicto, quem aerem non omnino ab omni caliditate expoliare oportet, ita vt cutis & meatus constringere possit, & materiæ exitum prohibere, immo æger pannis mediocriter secundum temporis qualitates cooperiatur, inspiciatq; res rubras, quoniam facit ad prouocationem materiæ ad exteriores partes, fiantq; quotidianæ fricationes leues cruribus, brachiis & reliquis partibus corporis, habeatq;

quotidianum ventris beneficium sponte, vel clystere, dormiat, & si non dormierit morbi malitia, fiant quæ dicta sunt in cura febris ad somnum conciliandum, at si nimium dormierit opitulari oportet remediis ibidem dictis, cibetur cibis in cura febris iam dictis, scilicet instaurantibus virtutem, neque ptisana hordeacea dimittenda est cum infrigidet, & sudorem prouocet, ac minime opitulatiua sit, teste Hippocrate, in qua contusi portionem addere optimum est, & etiam aquæ carnis, cibareq; etiam bis, ter, quaterq; si virtus imbecillis est in die oportet, in quibus cibis sint, quæ cordi prosunt sanguinem clarificando vt in cura febris dictum est. Quod si ratione crassitiei ipsius materiæ, calida quædam sit necessarium cũ cibis aut medicinis permiscere, optimum erit cum seminibus acetosæ ponere fœniculum, apium, petroselinũ, siue fuerint semina, siue radices, quoniam cum pestichiæ ægrè exire videntur, iuuant ad earum exitum. Potus sit ex illis iam superius dictis, quæ non sint in vltima frigiditate, quapropter cum supradictis admiscenda sunt quæ aperiant, vt est sirupus acetosus, & aqua lupulorum, bulliantq; semina apii, & petroselini, & fœniculi, & anisi, & fiat iuleb cum saccharo, & detur pro potu præsertim si difficulter maculæ exierint, atque accidentia mala fuerint. Vinum vero nullo modo detur, quoniam cum, vt plurimũ materia putrescens calida sit, auget calorem, & ipsam furere facit, ac ægrum in alienationem, vel somni profunditatem, si crassi vapores excitentur & in sudores frigidos, & animi defectum inducit. Neque vt dictum est, audiendi sunt qui dicunt vinum instaurare spiritus, tametsi veritatem in hoc tantum dicant, quoniam maius malum est materiam calidam magis accendere, & eam ad membra principalia ducere, quam sit iuuamentum instaurationis spiritus, si instauratio à vino fieret, sed non fit, cum materia venenosa prius & magis agat, quam vinum instauret, & ea ratione à principio morbi vsq; ad vigorem, vinum semper perniciosum est, in declinatione vero dari potest, nisi febris sit de genere ardentissimarum febrium, sicq; procedere oportet in cura pestichiarum si natura eas expellendo operatur. s. solo regimine ipsam adiuuante, ex admonitis à Galeno primo Aphorism. 22. Cõcocta medicari & mouere nõ cruda. Quod si difficulter pestichiæ exierint, vel si exierint & nulla fiat alleuatio, tunc aut virtus imbecillis est, aut à nimia, vel crassa materia aggrauata, vel qualitate vltima venenosa infecta, aut à quibusdam ex his vel omnibus, simul impedita, horum enim aliquod esse iudicare oportet. Quare succurrendum est naturæ, cum illis quæ aperiũt, vt est potus in quo semina apii, hordei cum ficubus siccis & lentibus bullierint, verbi

gratia: Recipe hordei, se. apii. ʒ. lentium. ʒ. ii. ficuum siccarum numero. v. decoquantur in libris quatuor aquæ fontanæ, vel endiuiæ, acetosæ & fœniculi, quo cum potu potest misceri sirupus acetosus, & ex acore citri; Corporis autem repletioni vel cacochymiæ succurratur cum euacuatione leui per clysteria, vel per medicamen sumptum per os, ex decoctione tamarindorum, in qua cassiam & manna & trypheram persicam dissoluere potes, vel cum alio leui in superioribus dicto, neque audiendus est Alpharabius, qui noluit in lenientibus ventrem manna, neque violas & similes medicinas ponere, experimento attestante contra ipsum, nam manna præter lenitionem est medicina beatificans operationem aliarum medicinarum vt doctè dixit Mesue. Fiant etiam fricationes fortes & applicentur ventosæ sæpe dictæ, quoniam est auxilium præstantissimum sine pari. & dentur sirupi qui præter extinctionem caloris febrilis & resistentiã malignitatis pestiferæ, aperiant, & prouocent, in quibus si. ʒ. s. fragmentorum de gemmis posueris, & alia ad clarificãdum sanguinem, & spiritus, & ad corroborãdum cor, optimum erit, medici iuniores hanc additionem aromatizare dicunt, hæc omnia fiant vsquequo natura alleuetur ita vt in residuum expellendo agere possit, obseruato regimine custodiente virtutem, & reliquis, & quoniam sciuisti ex sententia Hippocratis naturam operatricem esse, medicum ministrum, qui loco & tempore naturæ auxiliari debet, amouendo impedimenta, vel instrumentum regulando, quod calor naturalis est, igitur andacter agere oportet in talibus cutaneis infectionibus vt omnino exeant, siue variolæ siue morbilli, siue pestichiæ fuerint, quoniam idem secundum materiam sunt, & solum differunt, vt superius dictum est, differentia accidentali, sed semper memoria repetere oportet incisionem venæ non sine discrimine in talibus fieri posse, vt dixit princeps, quoniam post secundum diem quamuis materia sanguinea fuerit minime prodesse potest, quare loco eius applicentur ventosæ, præsertim si materia difficulter ad cutem exteriorem ex aliqua admistione materiei crassæ egrediatur, quod est maximum malum vt dicebat Galenus primo Epidemiarum commento. xxi. vnde notare oportet quod quando huiusmodi pestichiæ siue materia ipsarum ad exteriora membra non expellitur aut interimit, aut difficultatem anhelitus, aut fluxum ventris malum causare consueuit, quoniam materia in interioribus membris detenta ea irritando stimulat, quare omni ingenio ipsam extra ducere oportet, & hæc de cura pestichiarum, quę communis est morbillis, & variolis, satis sint,

De apostematibus pestilentialibus, siue bubonibus in emunctoriis, & aliis tuberculis cæteris partibus corporis accidentibus. Cap. 6

VVlgare est in febre pestilentiali oriri diuersa genera apostematum, siue tumorum prẹter naturam in diuersis partibus corporis, sed præcipue in emunctoriis, scilicet inguinibus frequenter, sub alis, & post aures in collo, ac etiam hinc inde per uniuersum corpus tubercula oriuntur. Quæ omnia & ab antiquis & modernis medicis ac etiam vulgaribus diuersimode appellata sunt, Vulgares vero ex ipsa primo pestilenti qualitate in quampluribus locis Italiæ pestem huiusmodi tumores vocant, præsertim magnos, qui in emunctoriis fiunt, aliqui vero quoniam in locis glandosis, quos adenosos latini dicunt, vt plurimum apostema apparet, glandussam uocant, sed de nominibus minime disputare est animus. Dicā igitur apostemata sæpissime cum febre pestilentiali apparere, vel post, & tunc pōt dici accidens ipsius febris, aliquando etiam visa sunt prius apostemata, deinde subsequuta est febris, non tamen notabile tēporis interuallum fuit, & sic non accidens febris est, sed quædam expulsio naturæ sequestrantis malum humorē, vt dicebat Galenus in libello de Tumoribus prẹter naturā, sed quando simul apparent, expulsio quẹdam est & humorum super calefactio simul, qui postea putrescentes causant febrem, tametsi semper cū apostemate pestifero vel antecedat, vel subsequatur febris mala, vt dixit Hippoc. quarto Aphoris. & hẹc est deterior illa, quẹ fit in uariolis, morbillis & pestichiis. Apostemata vero sunt diuersa secundum diuersitatem materiæ & admistionis ipsius, attamē calida sunt, sicq; lato uocabulo phlegmones dici possunt, si quis ea, quæ scripsit Galenus tertiodecimo, & quartodecimo Artis curatiuẹ, & secundo Artis curatiuẹ ad Glauconē, & de tumoribus prẹter naturam legat, cum sint tumores ex materia pro maiori parte sanguinea mala & corrupta, in qua & alii etiam humores corrupti sunt & ea rōne non possunt recte denominari suis nominibus nisi confusa fieret appellatio. Ego igitur sic ea describam. Apostemata in febre pestilentiali sunt tumores in emunctoriis vel aliis locis corporis, facti, repente ex expulsione materiæ malæ venenosæ in massa sanguinis existentis, quod si aliquando uisa sunt erysipelata, non ideo contrariantur nostris dictis, cum de manifestis tumoribus hic sermo sit, qui non sunt aut undemia siue œdema, neque scliros, siue sephiros, neque cancer, neque aliqđ ex tumoribus quos nodos vocant, sed ex sanguine malo non puro secundū substātiam & qualitatē vt dixit Auicēna tertia quarti capite primo, Inquit.n. ipse a san

guine crasso malo fiunt species exiturarum malarũ, quæ sunt diuersæ secundum malitię diuersitatem, quoniã quando adustio est fortis, fiũt erysipelata mala, & deterior est ignis Persicus, necę credere quis debet erysipelas ex sanguine crasso fieri posse, sed fit ex adustione sanguinis crassi mali facientis apostema, a quo excitantur quædam partes subtiliores, & fit accidens habens denominationem suæ subtilitatis consimilem scilicet erysipelati, & igni persico, & sunt alterationes combustiuæ corrumpentes membrum in ea parte in qua accidunt. Notabis tamen sæpe uisum fuisse in quibusdam constitutionibus pestiferis fieri apostemata intrinseca, pleuretica scilicet & synanchica, a quibus raro euadunt ægri, vt contigit anno. 1535. in hac nobilissima vrbe & in quampluribus Italiæ locis. Nam istis superueniebant dolores lateris & gutturis, qui non vehementes sed obtusi erant, de quibus non paucæ quæstiones fuerunt & vt superius dixi equidem plurima corpora mortuorum cum iam dictis intrinsecis tumoribus secui, & in locis doloris omnibus inueni tam in gutture quam in pectore apostema, & in quibusdam tantæ magnitudinis erat, vt non solum membranam costas subcingentem comprehenderet, verum etiam maximam diaphragmatis siue septitransuersi partem. Diuidam igitur hos tumores in maiores, & minores, Maiores vero voco eos qui in inguinibus sub alis & post aures in collo apparere consueuerunt, quos bubones pestiferos medici quidam nominant, ac etiam illos, qui interiores sunt, qui secundum diuersitatem causæ materialis fiunt diuersi non solum in substantia sed etiam in accidentibus. Participes enim qui minus sunt malorum & combustorum humorum, propinquiores existunt vt denominentur phlegmones pestilentiales salubres, & sunt rubri minorisę duritiei & tensionis, ac minus dolent, neque in eorum apparitione accidentia vltimæ malignitatis existunt, immo post eiusmodi aduentum sequitur leuatio, ac facillime suppurantur facillimeque sanantur. Sed tumores, qui fiunt a sanguine crasso malo malignitate pestifera, cum adustione, aut per admixtionem aliorum humorum malignorum ostendunt & in substantia & in accidentibus, materiam & eius malignitatem. Nam si cum humore crasso phlegmatico fuerit admistio, erit tumor durus non multæ rubedinis, & in eius aduentu mitiora sunt accidentia, dictis. At si mistio cum humore melancholico fuerit, tumor durus erit, liuidus, difficilis exitus, cum accidentibus sæuis maioribus minoribus ue secundũ naturam & quantitatem humoris melancholici, nanque humor melancholicus deterior est omnibus humoribus, cum sit fęx & excrementum

mentum massę humoralis inobediens digestioni, ac expulsioni, in cu ius motu si adustus fuerit cum qualitate pestifera sequitur vomitus, alienatio, sudores resolutiui, casus virtutis & alia superius dicta, quo niam naturæ contrarium existit, & ideo illi quibus apostemata ex ta li materia fiunt vt plurimum moriũtur. Quod si materia faciens apo stema cum humore cholerico fuerit admista, diuersa erunt acciden- tia secundum choleræ diuersitatem præternaturalem, nam si propin qua naturali suæ dispositioni fuerit, apostema facilis erit exitus cum colore rubro vnà cum citrino. Accidentia vero fortia erunt, scilicet febris vehemens, alienationes, insomnietates, vomitus malus, anxie- tas stomachi, pulsus cordis & alia, hi tamen ægri respectiuè non sine spe sunt, quod si cum cholera adusta fuerit, erunt accidentia deterio- ra secundum maiorem eius adustionem. Nam cum aduritur chole- ra, vel fit vitellina illa, de qua Galenus, vel fit prassina, coloris qui- dem viridis, vel zinaria viridi æri similis, aut in vltima adustione ni gra & est deterior cæteris aliis. Quare apostemata, quæ cũ admistio- ne cholerarum eiusmodi sunt, præ se ferunt colorem illorũ, quæ om- nino mala & perniciosa sunt, à quibus vltimis nullus euadit, quoniã cum sint venenosa si malignitati pestiferæ addantur, nulla est in eis redemptio, signa ipsorum superius satis dicta fuere. Nam raro ad quartum diem deueniunt, & eorum exitus non difficilis est, & sunt dura ex adustione, atque ea patientes maximo afficiuntur dolore, & quando non suppurantur sed incipiunt apparere, & postea occultã tur deteriora sunt, præsertim si viridem, aut violaceum vel nigrum colorem, qui deterior est, habuerint. Est & aliud genus apostematũ, quæ in febre pestilentiali apparent, quod carbonem vocãt, carbones aũt sæpe sunt parui, quos botores Auicenna vocat, & aliquãdo ma- gni, neque differunt in causa materiali nisi secundum maiorem adu- stionem, porro efficiens causa vna cum superiori est. At differũt quo niam non solum in locis emunctoriis tantum apparere solent, sed in differenter in omnibus partibus corporis, & aliquando apostemati- bus magnis superius dictis plurimi carbunculi accidere solent, ita vt sæpe prętcr apostemata iam dicta etiam carbones oriantur, qui vt di xit Galenus secundo ad Glauconem fiunt ex sanguine malo adusto, esse & signa quorum, sic ostendit: Quum sanguis influens calidus sufficienter extiterit & crassus, quodcunque membrum subito occu- pauerit, hoc comburendo facit crustam, quicquid vero circumia- cet in inflammationem leuat, & feruescentem grauemq; dolorem infert, vocatur huiusmodi passio carbo, hæc Galenus qui etiam reliquas differentias addidit, quas in processu exponam, nam di-

uersi oriuntur secundum materiæ admistionis & adustionis diuersitatem, & maligniores sunt nigri & violacei, et virides post ipsos, at illi, qui non suppurantur & ægrè egrediuntur deteriores sunt, quæ omnia materiæ malignitate & qualitate, & admistione fiunt. Nam dolorem efficiunt ex acuitate materiæ, & duri existunt ex adustione ipsius, sunt tamen alii qui habent in prima eorũ apparitione in summitate veluti vesicam factam ab igne, & circum liuidi sunt, cum rubedine, habentes veluti granum milii in summitate, sub quo est crusta non diuersa, ab igne facta, alii vero incipiunt veluti paruæ pustulæ cum vesicis, & augeudo procedunt ad magni apostematis magnitudinem, ita vt sæpe ex pluribus paruis carbunculis fiat magnũ apostema, qui vt supra dixi fiunt ex malitia & mistione materiæ, puta si humiditates tenues admiscentur fiunt vesicæ paruulæ, & illæ pustulæ, & bothores & alia; sed hæc de esse & signis carbonum dicta satis sint dimissis quæstionibus modernorum de nominibus, at si quis alia de ipsis scire desiderat legat tertiumdecimum & quartumdecimum Artis curatiuæ Galeni & alios libros.

De cura apostematum & emunctoriorum. Cap. 7.

QVam citissime fieri potest eis, qui in emunctoriis & aliis corporis partibus apostemata magna & alia tubercula patiuntur auxiliari oportet, naturam imitando quando ad ignobiliora membra & conuenientia mittit, docente Hippocrate. Præmisso igitur regimine sæpe dicto cum resistentibus qualitati pestiferæ, bolo armenio, & terra sigillata accepta, & aliis cordi conferentibus, si venter, ex se nõ eduxerit secundum opportunitatem materiæ, & corporis plenitudinem, ac virtutis tenorẽ primo euacuare oportet nulla expectata digestione, & ratio supradicta est, est etiam ducenda materia ad locum apostematis cum applicatione ventosæ super apostema, aut prope illud, præsertim si cum difficultate egreditur, tunc.n. ventosas incidere optimum erit, & sanguinẽ malum per hũc modum euacuare, vel per appositionem sanguisugæ, vel per ventosarum, quæ scalpello, siue nouacula incidantur, ita, vt sanguis malus euacuetur & est doctrina principis Auicennæ de Cura apostematis in locis glãdosis. Quod si apostemata cito egrediantur, & in amplum tumorem locus eleuetur, per quam eleuationem sequatur remissio febris, & aliorum accidentium, tunc signum est quod natura bene operatur, & ideo ei auxiliando applicentur emplastra attrahẽtia hoc modo facta: Recipe gũmi, galbani, oppoponaci, terebenthinæ an. partes æquales misce & dissoluantur simul ad ignem vel in mortario æneo & calefacto pistillo fiat massa, & extẽdatur super corium vel pannum lini, ponaturq;

super apostema. Quod si magis malignum videris fiat emplastrum cum fermento, radicibus liliorum alborum, vel cum cæpis domesticis coctis in cineribus, radice altheæ, stercore columbino, nucibus rācidis an. partes ęquales, misce & cum oleo liliaceo, quantum satis est, fiat emplastrum, istud enim non solum attrahit materiam ad locum, verum etiam maturat ipsum & dolorem lenit. Potes & alia emplastra apponere scripta ab antiquis & modernis, sed quoniam medicina vsu comprobata melior est non probata, teste Auicenna quinto Canonis, ideo scribā quædam quibus vtitur Dominus Iacobus Ricius, vir quidem expertissimus, & primo cum apostema est ex illis, quæ maximam ostendunt adustionem & vltimam caliditatē, ponit ipse à principio vnguentum ex cerussa coctū per duos aut tres dies, quoniam remittit caliditatem vstiuam, deinde prosequitur cū illis, quæ maturandi vim habent, sed quando non sunt vltimę malignitatis vtitur emplastro isto: Recipe radicum altheæ. ℥. vi. incidantur & coquantur in aqua communi ita, vt optime pistari possint, deinde accipe radicum liliorum alborum, vel cæpas cōmunes numero. iiii. coquantur sub cineribus & conterantur vna cum radicibus altheæ, postea adde fermenti. ℥. v. & axūgiæ suillæ. ℥. viii. farinæ fœnugræci & ex seminibus lini an. ℥. ii. & pistillo circunducantur omnia in mortario ita vt optimam emplastri formam recipiant. Quod si mollius facere desideras, adde ad libitum decoctionem radicum altheæ & circūducendo in mortario reducatur ad optimam formam, & postremo adde stercoris colūbini. ℥. vi. croci. ℥. iii. & pone super ipsum apostema, mane, & vesperi. Aliud emplastrū, quo vtitur dictus Dominus Iacobus in illis, quæ minus adustionis habēt neq; corruptionū cōtraxerunt qualitatē est hoc: Recipe foliorū maluæ, violarū an. manipulos. ii. bulliant in aqua cōmuni bullitione vna & facta aquæ expressione fumigentur vna cum. ℥. iii. butyri recentis & axungiæ gallinaceæ. ℥. i. s. fermenti. ℥. iii. & modico olei violacei, vel rosacei ita, vt ad formā optimā emplastri redigantur, quo vtere super apostema mane & vesperi, nā mitigat dolorem & maturat sine molestia. Potes ēt aliis emplastris vti, quæ omnia sunt eiusdem intētionis, verbi gratia si apostema fuerit difficilis exitus: Recipe galbani, fermenti an. ℥. ii. radicū liliorum alborum, ℥. iii. interioris ficuum pinguiū, nucis rancidę an. ℥. ii. farinæ seminum fœnugræci. ℥. ii, succi betonicę, mellis an. quātum satis est, fiat ex eis emplastrum, et vtere vt supradictum est. Et cū maturatum fuerit apostema, quod cognoscitur, vt dicebat Princeps, per pulsationes plurimas præcedentes, & præsentem leuitatem, & in loco fluctuationem, si per compressionem digitorum locū hinc in di

deprematur, perforetur instrumento idoneo, & fiat foramen latum prout erit opus, vt mala materia libere exire valeat. Caue tamē incidere chordam aliquam, aut venam, aut arteriam, dico hoc quoniam ad loca emunctoriorum chordæ, nerui, venæ & arteriæ plurimæ veniunt, ac ad ipsa terminantur & transeunt, quod si post apertionem sanguinem malum fluere permiseris, optimum erit. At si fluxus sanguinis vehemens, & alicuius timoris fuerit, retineatur apposita tenta madefacta in albumine oui admisto cum bolo armenio & sanguine draconis & thure & aloe, & pilis leporis. Quod si nullus fuerit sanguinis fluxus pone ea, quæ completam saniem generare possunt, nō expoliata à virtute attractiua cum aliqua siccitate, quare optimū erit vnguentum digestiuum commune confectum ex tribus partibus terebinthinæ & vna vitelli ouorum cū portiuncula olei rosacei, sicq; procede tentas in vulnere ponendo & pannis dicto vnguento illinitis cooperiēdo, vsquequo perfecta sanies sit, quam cognosces ipsius albedine, lenitate & æqualitate, & ex odore non graui sensui, qua sanie sic apparente vtere mundificatiuis, prout erit opus. Nā si vlcus non est cum aliquo accidente mutante communem vlcerum mundificationis intentionem, fiat hoc mundificatiuum: Recipe terebenthinæ, mellis rosati an. ℥. iii. farinæ hordei quantum satis est, vt formam vnguenti extēsibilis recipiat, ponecq; ipsum intra vlcus cum tētis & etiam extra vt dixi sup pannū extensum, vsq; ad cōpletā mundificationem, quam cognosces quoniā diminuitur sanies et vlcus quoquo modo exiccatur cum bonitate coloris, & substantiæ vlceris, tu vero tunc vtere iis, quæ carnem regenerāt, si fuerit vlcus cauum cū carnis deperditione, vt contingit in talibus apostematibus. Quare adde dicto mundificanti medicinas attrahentes nutrimentum cum exiccatione non excedente primum gradum supra membri temperamentum, verbi gratia: Recipe terebenthinæ, mellis rosacei an. ℥. ii. farinæ hordei, olibani, sarcocollæ, myrrhæ an. quantum satis est, & fiat vnguentum extensibile, vel fiat cum alio magis minusve exiccante, vt est vnguentum basilicum Domini Mesuæ, quoniam est optimū medicamen regeneratiuum carnis, dicant in hoc ignari Chirurgici quicquid sibi in buccam venerit: vel vtere vnguento aureo Mesuæ, & aliis ab antiquis scriptis quæ breuitati studens dimitto, tuum enim erit secundum necessitatem expertis cum ratione vti. Et quoniam cum iam dictis apostematibus & vlceribus complicantur accidentia alia mala prohibentia apostematis maturationem, & digestionem vlcerum, vt est caliditas cum erysipelate vel herpete, & gangræna, & sphacelo, ac vltima vlceris malitia

quam esthiomenum dicunt, ideo cum dicta accidentia apparẽt oportet ipsis intendere cum sint mala, & prohibeant & apostematis, & vlceris curationem nisi amoueantur, quod si cum apostemate ante maturationem appareat rubedo vehemẽs, vel erysipelas, aut herpes excoriatum, tunc vnge locum circum circa vnguento isto: Recipe vnguenti rosacei Mesuę boli armeni an. partes æquales misce & fiat illinimentum in mortario & vnge locũ circa apostema, vel bulliat bolus armenius cum aqua nenupharis ad quandam spissitudinem postea destilla ipsum per pannum lini ita, vt subtiliores partes exeant, cum qua expressione vnge circum circa apostema, crassæ autem & terrestres partes proiiciantur, sed cum talis rubedo cum malignitate apparet longe melius est scarificare locum rubẽtem & ad corruptionem tendentem scalpello, ac dimittere sanguinem exire, hoc idem facies si vlceribus qualitas corruptiua superuenerit, scarificãdo vt sanguis malus exeat, deinde medicamen exiccatiuum ac prohibens corruptionem desuper ponatur, vt puta facta scarificatione lauando locum cum aceto & sale commistis, deinde ponendo desuper vnguentum Aegyptiacum, & in vltima corruptionis malignitate potest addi pars arsenici vt fortius operetur crustam faciẽdo, aut cum aliquo æquiualenti, qua crusta facta, ad eius remotionem vtere butyro ipsam molliẽdo, & post amotionẽ ipsius, cura vlcerũ procedere opus erit, quæ nota est, etenim si omnia particularia docere velim nimis oratio prorrogaretur. At quoniam sæpe in se vlcera prædictorum apostematum carnem malam sordidam ac sphacelosam habent, quę fortiori indiget mundificatione, pro qua habenda vnguẽto Apostolorum, vel vnguento ceraseos Mesuę vti operæpretium erit & aliis etiam, verbi gratia componendo vnguentum ad sorditiem illam & corruptionem remouendã: Recipe unguẽti Aegyptiaci partes duas, basiliconis partem vnam, misce et vtere ipso, quoniã mirum in modum mundificat vt sæpe in similibus expertus sum, quod si minori mundificatiuo indigeo minus vnguenti ægyptiaci pono & plus basiliconis & plus & minus secundum indigentiam. Et id quidem semper mihi rationabiliter procedenti bene successit præsertim in quodam mercatore, qui apud ædem diui Iulsani habitabat, qui habebat apostema malignum in collo, & post suppurationẽ deuenit ad sphacelosam corruptionem, iussi igitur operatori vt apponeret vnguentum ægyptiacum cum basilicone, ex cuius applicatione remissa est mala qualitas corruptiua & sanatus est, & Dominus Dominicus Salo cum ei post febrem pestilentialem & pestichiarnm apparitionem, apostemata duo superuenissent, alterum sub ala alterum in inguine

dextero, & ex appositis emplastris quod erat in inguine post aliquos dies deuenisset ad sphacelosam corruptionem, iussi Chirurgũ miscere cum vnguento digestiuo duas partes vnguenti Aegyptiaci, & sic amota est caro mala & rectificata est mẽbri temperatura sicq; sanitati restitutus est circum circa vlcus iussi inungere locum cũ vnguento rosaceo Mesuæ & vnguento ex cerussa camphorato vna cũ bolo armenio mixtis, quoniam maxima rubedo & caliditas ibi erat. De consimilibus accidentibus conquestus est mecum Dominus Iacobus Ricius Lazareti Chirurgus, cui consului prædictum modum in curandis prosequi, facta itaque regeneratione carnis pone vnguentum cicatricem siue callum loco deperditæ cutis efficiẽs, quod si maioris exiccationis egueris vtere vnguento triapharmaco, vel vnguento ex minio cocto, vel vnguento fusco, siue alio æquiualẽte, sed quoniam dictum fuit quod ex dictis apostematibus quædam sunt, quæ ex ingenti malignitate minime maturari possunt etiam si ipsis auxiliemur emplastris, & aliis medicaminibus, sed potius ad corruptionem tendunt, cum videris hoc, ægrum periturum iudicabis. Nec propterea ab aliquo auxilio desistere oportet, quoniam aliquid agere semper melius est, quam sine spe ægrum dimittere docente Galeno. Quapropter multi solent apostemata ad corruptionem tendentia cauterio ignito comburere, ita vt fiat per totam carnem corruptam crusta fortis, etenim medicamen vltimum & laudatissimum in talibus est ignis, dixit enim Hippocrates: quod ignis non sanat, nihil sanat. Ante tamen quam ad cauterium deuenias, multis incisionibus locum corruptum & circa ipsum scarificabis, vt sanguis malus, qui in loco est exire valeat. Post vstionem cum cauterio pone super locum butyrum vsque ad casum escaræ, qua amota pone vnguentum digestiuum dictum, si indiget digestione, & post digestionem pone mundificantia, & carnis regenerantia vt supradictum est, semper circum circa locum vngendo cum bolo armenio & vnguento rosaceo Mesuæ, aut cum vnguento ex cerussa camphorato, solis vel simul mixtis. Neque vllo modo in talibus frigida repercussiua apponenda sunt super ipsum apostema aut circum. Quod si Auicenna dixit in principio spongiam infusam in aceto & aqua apponendam esse, & similia infrigidantia, & repercutientia, non dixit de illis apostematibus, quæ in emunctoriis fiunt, neque de illis, quæ sunt secundum semitam expulsionis vt vtar; eius verbis in capite statim subsequente positis. Nam in talibus iubet apponere ventosas, & emplastra attrahentia materiam malam ad locum ignobilem, vt reddat membrum intrinsecum securum

à malignitate humoris mali, enimuero si materia aliqua maligna sit causa alicuius apostematis maligni, non tamen per viam expulsionis à membro principali, tunc & eo casu ne membrum corrumpat, & malignitatem augeat, & ne per reliquas venas spargatur, & propinquiores partes, optimum est insequi doctrinam principis apponendo in principio infrigidantia constringentia & malignitati resistentia, ita vt cũ aceto & aqua & bolo armenio, & oleo rosaceo, & oleo de myrto, & aliis locus rectificetur.

De cura carbunculorum, & aliorum tuberculorum. Cap. 8.

QVoniam dictum fuit præter apostemata emunctoriorum alios tumores inter se maiores & minores etiam superuenire, quos sub nomine carbunculorum non sine ratione declaraui, ne igitur aliqua in parte error fiat, notabis quòd etsi vt plurimum carbones sint parui tumores si emunctoriorum apostemata inspicias, attamen aliquando visi sunt magni comprehendentes intrinsecam, & extrinsecam partem membri, neque sibi determinatum locum habent, sed in quacunque corporis parte veniunt. Et quamuis fiant à materia mala venenosa propulsa à natura, vt emunctoriorum apostemata fiunt, habent tamen quasdam differentias quibus differunt ab illis, quoniam materia carbunculorum sæpe magis crassa & adusta est, quare minus calidis ac attrahentibus indiget auxiliis, ne magis aduratur. Quod si in vltimo malitiæ fuerint, vltimis indigent remediis: talia sunt causticæ medicinæ crustam facientes vt statim dicam. Præmisso igitur regimine sæpe dicto cũ apparet carbo aut plures carbones, quoniam raro solus, sæpe plures apparent, vnde circa locum cũ aliquo roborante & malignitatem extinguente, vt est vnguentũ rosaceum Mesuæ cum bolo armenio, quæ inunctio sit in partibus aliqualiter distantibus, deinde pone super carbũculum hoc emplastrũ: Recipe interiorum partium ficuum siccarũ. ℥. iii. farinæ tritici, fœnugræci, de. s. lini an. ℥. i. s. sinapis. ℥. s. fiat ex eis emplastrum cum melle rosaceo & decoctione maluæ, & ponatur super carbunculũ, vel fiat istud: Recipe fermenti armoniaci, terebinthinæ, mellis rosacei an. partes æquales, fiat emplastrum & pone vt supra. aut fiat istud: Recipe fermenti, axungiæ gallinæ, sacchari fini, farinæ hordei an. partes æquales, mellis quantum satis est, fiat ex eis emplastrum, sed quoniam ex sententia Auicennæ, medicina vsu comprobata melior est non probata, ideo non ingratum erit ponere emplastra, quibus vtũtur experti in hac re se exercentes, & primum vbi carbones non sunt maligni sed rubri tale ponunt: Recipe fermenti. ℥. iii. axungiæ gallinæ. ℥. ii. sacchari fini. ℥. s. croci. ℈. i. vitellos ouorum nu-

mero.ii.olei rosacei parum, misce & fiat emplastrum & pone super locum, quoniam maturat & rumpit carbunculos. Valet etiam mirũ in modum, & est remedium in tali casu sine pari, si assidue supra carbunculum ponatur triticum masticatum stomacho ieiuno ab homine sano, maturat enim & dolorem mitigat, ac deambulationem prohibet, sed quoniam carbones sunt cum vehementi dolore, ideo si fieri potest nullo modo, ferro incidantur, quoniam ex vehementissimo sensu ducunt in animi defectum & aliquando ad extinctionẽ. Quod si aliquando incidere eos necessarium sit, id non nisi in desperatissimo casu fiat, & tunc animaduertendum quod si post incisionẽ nihil exierit, vel id quod exierit spuma quædam sit, æger procul dubio morietur, illis vero, qui maturantur & rumpuntur, post apertionem impone vnguentum digestiuum dictum, si omnino materia nõ digesta fuerit, & post digestionem impone vnguenta mundificantia & incarnantia pro vt operæpretium erit. Neque hoc cõtradicit verbis doctissimi Guidonis Chirurgici, qui scripsit carbones non debere maturari, sed comburi cauterio, quoniam illa verba dicta sunt de malignis et denigratis pendentibus ab humore maligno combusto, ego vero de illis dixi, in quibus non est adustio neque malignitas prohibens digestionem. Pro quo te scire oportet quod etiam in malignis carbonibus vnà cum medicinis comburentibus & crustam facientibus, maturationem aliquam quærere necessarium est, quare post scalpellationem siue scarificationem & exitum sanguinis ab ipsis, pone hoc emplastrum desuper: Recipe pulpę ficuum siccarum, fermenti an.℥.iii.sinapis.℥.i.s.salis communis, aristolochiæ longæ an.℥.i.tritici masticati ab homine sano.℥.ii.mellis.q.satis est, fiat ex eis emplastrum quoniam maturat & escaram facit; Vel pone istud quod est mirabile: Recipe terebenthinæ, nitri, auri pigmenti an. partes æquales, fiat ex eis emplastrum, nam aperit & attrahit venenosam materiam, vel vtere emplastro Domini Iacobi Ricii quod fit sic: Recipe theriacæ, mithridati an.℥.s.terebẽthinæ, fermenti, an.℥.ii. mellis rosati.℥.i.s.butyri recentis.℥.ii.salis communis.℥.i. fuliginis camini ℥.ii.s.saporis saracenici.℥.iii.croci.℥.iii.vitellos ouorum numero.iiii. pistentur pistanda, ac omnia simul miscendo fiat emplastrum, pone q́ super carbonem, quoniam mortificat eum & prohibet vlteriorem membri infectionem, muteturq́ bis in die mane scilicet & vesperi mortificatio vero cognoscitur, si apparet separatio carnis malæ à bona, quo qu idem tempore ad eius vltimam separationem butyro vti oportet saccharo admisto, vt sua abstersione melius crusta amoueatur, caue tamen crustam vi amouere, quoniam ob maximũ

dolorem, qui ex violentia sæpe sequitur, animus deficit. Nam vt dixi carbones aliquando sunt magni putridi, ita, vt quandoque mala caro, quæ in ipsis est, incredibilis sit quantitatis, etiam ad pondus duarum librarum vt vidi in quadam muliere, quæ fœtebat fœtore horribili, in istis enim non sine discrimine talis caro vi eradicari potest. Quod si times vlteriorem corruptionem optimum est cauterizare ipsam oleo feruenti, similiter & in paruis, in quibus malignitas ex accidentibus cognoscitur, & post coctionem ab oleo feruenti vbi nigredo apparet apponatur ventosa, qua apposita pone super locũ emplastrum maturatiuum, vel incidatur ante maturationem vt virtus exire cito valeat. Et quoniam dictum est carbunculos sæpe oriri circa apostemata emunctoriorum, immo super ipsum apostema, ita vt sit compositio duorum apostematum, ex hoc indigere duobus medicaminibus siue emplastris necessario dicimus, scilicet emplastro pro carbunculo ad quantitatem carbunculi & emplastro ad maturãdum apostema magnum, quod maius esse oportet. Et quoniam citius fit carbunculi crusta, ideo facta crusta, satis erit ponere emplastrum maturatiuum super apostema vsque ad perfectam maturationem, quod si cum ipso apostemate fuerit inflammatio aliqua, vnge circum circa vnguento rosaceo Mesuæ vna cum bolo armenio, aut vnguento de cerussa camphorato. Et post amotionem crustæ illius, siue carnis corruptæ, procede digerendo secundum vlceris exigentiam, & si non ex toto fuerit à mala carne corrupta mundum, pone cum vnguento digestiuo partem sextam vnguenti ægyptiaci, plus minusve pro vt operæpretium fuerit & facta digestione pone mundificantia vnguenta vna cum ægyptiaci vnguenti portione secundum necessitatem, deinde pone incarnatiua, ac carnis regeneratiua medicamina, postremo ea, quæ sigillationem vlceris faciunt pone, vt supra dixi. Et hæc de cura carbunculi & aliorum tuberum dixisse satis esse puto, si quædam non ingrata & vtilia ad curandi rationem in calce addidero. Et primo scire oportet, vt dictum fuit, quod cum apostemata tam magna, quam parua dolorem non paruum causent ita, vt aliquando virtutem dissoluant, quæ ad mitigandum dolorem in talibus prodesse consueuerunt administranda sunt, & inter cætera valet fomentum ex oleo & sale calidum appositum, valet etiam vnguentum de althæa oleo rosaceo admistum, nam carbones fiunt ex sanguine malo inflammato e quo excitantur dolores, sed cum vnguentum de althæa dissoluat sanguinem concretum, hinc est quòd dolorem in carbunculis leuat dissoluendo malum sanguinem, & per vapores eum consumendo, Valet

etiam vnguentum rosaceum Mesuæ, & etiam vnguentum de cerussa camphoratū, ac etiam multa alia ab antiquis & modernis scripta. Hæc vero tametsi ab ipsis selecta sint, dicũtur ea ratione meliora quoniam sæpissime probata sunt.

De conuenientia purgationis tam per venæ sectionem quam per ventris inferioris expurgationem. Cap. 9.

ANtiqui omnes ac etiam moderni scribentes de cura apostematum pestilentialium omnium ante particularem loci curã corpus in primis euacuare docent, tum per sanguinis missionem, tum etiam per medicinæ ventrem inferiorem purgantis exhibitionem, quod equidem dum curam apostematum scripsi consulto prætermittere volui, verbum tantum tangens, scilicet dicendo laborantes statim euacuari debere, sed nunquid per sanguinis missionem primo, aut per medicamen alios humores euacuans id faciendum sit non expressum rationibus fuit. Et hoc, quoniam non omnibus cõuenit euacuatio per venæ apertionem, aut per ea, quæ per secessum educunt vt quidam moderni scribũt auctoritate antiquorum præsertim Galeni & Auicennæ. At quoniam mendacia scribunt ideo quomodo et Galenus & Auicenna intelligẽdus sit audi, Dixit sæpe Galenus duo esse necessaria medico, scilicet rationem & experimentũ, sed qui hos malignos tumores tractant, fallax experimentum in venæ apertione inueniunt, quoniam plurimi phlebotomati cum huiusmodi apostematibus pereunt, quare hæsitantes etiam in illis, in quibus uenę apertionem conueuire ex signis credunt, minime eam aperire audẽt. Quare qui auctoritatibus pro ratione tantum vtuntur, nullo facto discrimine proculdubio decipiuntur. Et ideo notare oportet vt dixi, Apostemata aliquando ante febrem apparere & aliquando cum febre incipere, & sæpe postquam per aliquos dies febricitauerint, puta in quarta, septima, quartadecima, vel alia die secũdum virtutis robur, & materiæ diuersitatẽ. Etenim si apostema apparet & illud magnum sit. s. in emunctoriis, aut paruum, quod carbonem vocant, & ante febrem appareat indicium est naturam mouisse materiam à partibus interioribus ad exteriores antequam aliquid caliditatis extraneæ cordi communicata sit, neque rationale est credere materiam talem malignitatem habentem sine putredine esse. Quare non sine maximo discrimine in talibus per venę apertionem a principio sanguinem euacuare possumus, nisi multa sint, quæ etiã apostematibus apparentibus venam aperire suadeant. Vt est plenitudo maxima admista cum sanguine, robore virtutis, & ætate quæ non prohibeat, & inter cætera si adsit etiam consuetudo aperiendi venam, illis consentiẽ

tibus sanguis mittēdus est ab eodem latere, vbi apostema est, neq; sic faciendo contrarium naturæ operabimur, immo ei auxiliabimur humores secundum partem euacuando, vt fortior fiat super residuum. Dixi ab eodem latere puta si tumor sub ala dextera fuerit, in eodem brachio venam secare conueniens est, quam basilicam vocāt, quod si in dextera ac in sinistra ala vno & eodem tempore apparuerit apostema, vel vnum post aliud, venas basilicas, amborum brachiorum aperire oportebit, sed maiorem sanguinis quantitatem à priori vena incisa euacuare conuenit, Verbi gratia si à prima vena incisa ℥. viii. sanguinis euacuaueris à secūda quatuor, aut quinque vncias euacuare satis erit. Neque potest dari certa regula euacuādi sanguinem, quoniam diuersa indiuidua & minorem & maiorem euacuationem tolerare possunt, attamē & quæ magis repleta sunt & maiorem malignitatem habere ostendunt, ac etiam sanguinis abundantiam, maiorem tolerant sanguinis euacuationem præsertim in ægritudinibus, in quibus aut malitia sanguinis aut abūdantia est. Econtrario nocet sanguinis missio si corpora munda sunt ac inanita, vel si sit ęgritudo sine notabili sanguinis permistione, immo tunc est de illis, quæ mortem accelerāt, quoniam euacuatur pabulum caloris naturalis cum ipso sanguine, quare in talibus caute agere oportet ne in errorē incorruptibilem incidamus. Quod admonuit nos Galenus tertiodecimo Artis curatiuæ sub tali serie verborum: In talibus expedit parcius agere, & euacuare, ac inspicere præter hoc, ætatem, anni tempus, & regionem. quam sententiam clarius secundo ad Glauconē scripsit, cui videtur consentire Auicenna tertia quarti de cura althohoin & de apostematibus in locis adenosis, cum dicit: Curatio est cum phlebotomia & cū eo quod tolerat hora (.s. tempus ægritudinis) et reliqua, vt puta q; virtus constans sit cum repletione homogenea sanguini, quibus non existētibus sanguinis euacuatio perniciosissima est. Qd' autem dictum est veluti exemplum, sit regula in aliis partibus corporis, porro si post aurem apostema apparuerit, venam cephalicam in brachio eiusdem lateris secabis, quod si post ambas aures fuerint apostemata ab ambabus venis sanguis mittendus erit, vt supra de apostematibus sub alis dictum est, similiter si in inguine altero apostema fuerit venā saphenam eiusdem lateris aperire cōuenit, vel sub poplite, quod si in ambobus inguinibus apostemata apparuerint ambas venas pedum, vel poplitum aperies, vt sanguis malus euacuetur per ignobiliora corporis loca. Sed in carbonibus quoniam sibi loca non determinant, ideo cæteris consentientibus vt supra exposuimus, in qua parte corporis apparuerint ab illa vicina

& magis conueniente sanguinem euacuabis, ipsam naturam imitando, caue tamen ne nimium sanguinis euacues, ne uirtus dissoluatur, ac esto memor post sanguinis euacuationem dare sirupum ex superius dictis aromatizatum (vt aiunt) cum pulueribus cordi conferentibus, caue etiam venam aperire si cum apostematibus multæ pestichiæ apparuerint, aut morbilli, aut variolæ, quoniam perniciosum est, teste experientia, nisi vltima ac maxima sanguinis repletio fuerit & hæc de talibus sint satis.

De regimine conualescentium. Cap. decimum & vltimum.

QVæ relinquuntur in morbis dixit sapientissimus Hippocrates recidiuam facere consueuerunt, quæ ex sententia Auicennæ est deterior sua radice, & sæpissime sæuior. Quare qui conualuerunt à febre pestilentiali, siue fuerit cum apostematibus, variolis, morbillis ac pestichiis, siue non, caueant à multis & regulariter in omnibus rebus necessariis se gerant, custodientes se ab aere malo, humido & putrido, ac etiam frigido, quod si diuites fuerint vtantur suffumigiis & bene redolentibus in secundo tractatu dictis. Caueant præterea à cibariis malis humidis humiditate putrescibili, ac etiam à nimia repletione, quoniam inter cætera, quæ ad recidiuam conualescentes præparant, est repletio cibi & potus, cum virtutes omnes debiles sint, quare cum cibum regulare non possint multæ ex eo fiunt superfluitates, quæ sunt in causa, vt prior ægritudo & deterior & etiam sæuior innouetur. Etenim quæ relicta fuerunt post ægritudinem sunt materię habentes coinquinamenta ad suscipiendum malam qualitatem pestiferam ex priori dispositione & ex virtutis imbecillitate. Similiter caueant à malis & inordinatis potibus, & vt summatim dicam cibi & potus sint ex illis, quæ in pauca quantitate optime nutriant, de quibus abunde in secundo tractatu dictum est. Vtãtur etiam mediocri exercitatione, habeantque quotidianum ventris beneficium, qui si sponte non fluat, vtantur clysteribus alternis diebus, vel accipiant pilulam vnam Ruffi ex aloe, myrrha & croco, ante prandium, vel ante cœnã, dormiant horis consuetis, minime vero in die, nisi aliqua necessitas cogat, sintque hilares, iocundi, gaudẽtes cum amicis, fugiant iram, tristitiam, & alias malas animi passiones. Præterea siue vir, siue mulier fuerit caueat ab amplexu & coitu, quoniam si venereorũ vsus semper perniciosissimus est in præseruatione, quanto magis in valetudinario debili secundum omnes virtutes, cum sit ex illis, quæ maxime corpus imbecille reddunt, eoque magis cauendum est, quoniam ex tali febre conualescentes mirum in modum à venereis tentantur. Istis in genere obseruatis particularia etiam quædam obseruãda

ſunt,& primo tam viri quam mulieres,qui politicè viuunt,caueant a pectinatione,tam capillorũ quam barbæ,ac etiam a lauatione capitis,& vnguium inciſione,dixit enim Galenus pectinationem virtutem debilitare,& humorem commouere,quod experientia confirmat,quæ omnes obſeruationes ſint vſq; ad terminum acutarũ ægritudinũ,qui eſt quadraginta dierum ſpatiũ.Præterea ſæpe in vna domo multi febre peſtilentiali ægrotarunt,ita vt non ſolum aer illius domus infectus ſit,verũetiã ſuppellectilia,veſtimenta,& panni, præſertim qui in ſcriniis,ſeu arculis clauſi fuerunt,immo & parietes domus retinent ſemina,ſiue malã illam coinquinationem ab aere corrupto acceptam.Quare caueant non ſolum a dictis antequã quadrageſimus dies pertranſiuerit verumetiã a cõmiſtione non ſolum infectorum hominum ſed & conualeſcentium,ac ẽt redire ſeu habitare domum,in qua homines infecti febre peſtifera fuerunt,niſi prius bene mundata ſit,ac denuo parietes calce illiniti fuerint;Caueant præterea induere veſtimenta infecta,aut ea tractare,ſiue fuerint ex lanis, ſiue ex lino facta,niſi prius optime expurgata fuerint lauatione, aut alio quouis genere expurgationis, quoniam plurimi in recidiuam & mortem ex contactu ueſtimẽtorum & aliarum rerum inciderunt. Curent igitur vt corpus ab omnibus ſuperfluitatibus & ſordibus tam intrinſecis quam extrinſecis mundetur,interius quidẽ per abſtinentiam a malis cibis,ac excrementorũ euacuationẽ,& exterius per veſtimentorũ mundiciem,& quotidianã ipſorũ mutationẽ,ita, vt ſi fieri poteſt,quotidie induſium,caligas,& cætera veſtimẽta nitida induant.Neque tamen ſine diſcriminè balneum ingredi poſſunt, vel aliud genus lauacri,cum corpus humectet ac humores agitet, ſenſim igitur ad conſuetum ſibi regimen cibi, atque operationũ tranſeant, ita vt non ſine maximo tẽporis interuallo ad omnia poſtmodũ conſueta munia ſe conferant.

Hactenus proceſſiſſe noſtram de febre peſtilentiali orationẽ ſatis eſſe arbitror,vtpote ab homine negocioſiſſimo cõſcriptã.At ſi Deus mihi adiutor & propitius fuerit, corporis q; & animi valetudinem prorogauerit,me ad reliqua ſcribenda quæ pollicitus ſum præparabo,quem ineffabilem ac omniũ factorẽ deum quemadmodum noſtro primordio ſupplex deprecatus ſum mihi auxiliari,ita ẽt atque etiam oro,noſtro ſcribendi fini faueat,vt ea,quæ ad gloriam ſui nominis,ac ſuorum fidelium cõmoditatem ſcripſi,ſua ſempiterna protectione feliciter ac proſpere optatum finem conſequantur.

F I N I S.

fani, & prauie tam [illegible] quā debiles, qui polli, & vitam [illegible] a pestinatione, tamen in illo [illegible] borbo, ac etiam a suauiore co- piaque fugerint in illo [illegible] Galenus persuaderet vi- cinum debilitare, & sanam rem communem, quod experientia confir- mat, quæ omnes deleant tabes hac vsque ad terminum acutorum ægri- tudinū, qui est quadraginta dierum spatii. Præterea sæpe in vna do- mo, in qua febre pestilentiali ægrotarunt, ita vt non solum per sinus domus infectus sit, verū etiā suppellectilia, vestimenta, & panni, præ- sertim qui in scrinijs, seu arculis clausi fuerunt, atque & parietes do- mus retinent [illegible] siue mali illam contagionem ab aere sibi tacto acceptam. Quare caueant non solum a domo [illegible] ægrotis, quādo [illegible] non solum inte- riorum hominum sed & conualescentium, ac ne ve sedere seu habitare domum, in qua homines infecti febre pestifera fuerunt, nisi prius be- ne mundata, & ac domo parietes calce illiniti fuerint; caueant præ- terea induere vestimenta infecta, aut ea tractare, siue fuerint ex lanis, siue ex lino facta, nisi prius optime expurgata fuerint lauatione, aut alio quouis genere expurgationis, quoniam plurimi in [illegible] & mortem ex contactu vestimentorum & aliarum rerum inciderunt. Curent igitur vt corpus ab omnibus superfluitatibus & sordibus tam intrinsecis quam extrinsecis mundetur, interius quidē per absti- nentiam a malis cibis, ac excrementorū euacuatione, & exterius per vestimentorū munditiem, & quotidianā ipsorū mutationē, ita, vt si fieri potest, quotidie indusium, caligas, & cætera vestimēta munda in- duant. Neque tamen sine discrimine balneum ingredi possunt, vel aliud genus lauacri, cum corpus humectet & [illegible], tenuem igitur ad consuetum sibi regimen cibi, atque operationis transeant, ita vt non sine maximo tēporis interuallo ad omnia postmodū con- sueta munia se conferant.

Hactenus processisse nostram de febre pestilentiali orationē satis esse arbitror, vtpote ab homine negociosissimo cōscriptā. At si Deus mihi adiutor & propitius fuerit, corporisq; & animi valetudinem prorogauerit, me ad reliqua scribenda quæ pollicitus sum, præpara- bo, quem ineffabilem ac omniū factorē deum, quemadmodum no- stro primordio supplex deprecatus sum mihi auxiliari, ita & nunc etiam oro nostro scribendi fini fauere, vt ea, quæ ad gloriam sui no- minis, ac suorum fidelium cōmoditatem scripsi, sua sempiterna pro- tectione feliciter ac prospere optatum finem consequantur.

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM quæ in hoc uolumine continentur.

ACCIDENTIA, licet à febre primo originem ducant particularē tamen curam desiderant. fol 60.b
Accidentium diuersorum annumeratio, atque eorundem particularis cura. ibid.
Accidentibus malis, quæ prohibent ulceris, & apostematis curationem, intēdere debemus, & quo modo. 75.a
Acetum patiētibus anhelitus difficultatem & tussim non conuenit.
Acetum & eius uasa non inficiuntur ab aere pestilenti.
Aere malo educati incidunt minus quàm alii in febrem pestilentialem. 17.b
Aere rectificato uti debent ii, qui conualuerunt à febre pestilenti. 78.b
Aer corrigendus est aut præparandus ne suscipiat infectionem ab alio aere infecto. 25.b.
Aer qui inspiratur rectificandus est & quo modo. 27.a
Agaricus educit materiam crassam & cordi confert. 54.a
Agere aliquid melius est, quā sine spe ægrū dimittere. 75.b
Alcola in febribus pestilentialibus est maximum signum malignitatis, & sæpe lethale. 61.b
Alienationes uel cum uigiliis, uel cum somni profunditate in febre pestilentiali sæpe sunt signa apostematis cerebri. 64.b
Amplexus uenereus non fit sine labore.
Animalia reiicienda sunt à ciuitate tempore pestilentiæ. 26.a
Antidota contra pestem experta.
Apertio uenæ quando non conueniat in febre pestilenti, & quibus de causis. 70.b
Apostema pestiferum semper, uel antecedit, uel sequitur febris mala. 72.a
Apostemata in febre pestilenti existentia quid sint. ibidem
Apostemata quæ non suppurantur, sed incipiunt apparere, & postea occultantur deterrima sunt, & præsertim si sint mali coloris.
Apostema maturatum quo modo cognoscatur ex Auicenna.
Apostematibus ad corruptionem tendentibus (nobis etiam obstantibus & prohibenbus) ignis ultimū est remedium, docetq; quid prius agendum, antequam ad hoc deuenias, & quid etiam, postquam id remedium præstiteris. 75.b
Apostematibus ad corruptionem tendentibus & in emunctoriis existentibus frigida repercussiua non conueniunt. ibidem
Apostemata aliquando ante febrem, aliquādo cum febre, aliquando post incipiunt. 77.b
Apostema apparens ante febrem quid significat, & quando in ipso sit mittendus sanguis & à quo loco. ibidem
Aqua Chamomillæ, & hyssopi epota soluit cholicam uentosam. 49.a
Aqua hordei cum sirupo acetoso minime administrari debet. 49.b
Aquæ carnis conficiendæ tres modi. 56.a
Arabes prætermittere non debet is, qui ueræ medicinæ finē attingere cupit. 67.b
Ariditas oris, linguæ, ac palati si sint absque siti malum est signum. 61.b
Aromata omnia non solum non suscipiunt pestilentiam, sed eam corrigunt, & expungunt. 25.a
Artes quædam prohibendæ sunt tempore pestilentiæ. 26.a

BAlneum aut aliud genus lauacri in cōualescentibus à febre pestilenti nō est sine discrimine, & quare.
Boli armenii, qui in nostris regionibus inuenitur, præparatio.

CAlendula præseruat à febre pestilenti & in mulieribus prouocat mēstrua. 45.b
Carbones fiunt à sanguine malo inflammato à quo excitantur dolores. 77.a
Carbones parui propriē dicuntur bothor ab Auicenna, licet aliquando & magnos ita uocet, & quo modo inter se conueniant ac differant.
Carbones sunt parui tumores, licet aliquando uisi sint magni, nec habent determi-

tum locum, seu partem corporis, & licet fiant a materia mala & uenenosa, tamen differunt ab ipsis & ideo diuersa requirunt remedia. 76.a
Carbo solus raro apparet, sed plures apparent sæpissime, quando ergo apparent docet ungere locum circum & cum quibus. 76.a
Carbunculi si fieri posit non sunt incidendi, quod si necessarium sit ipsos incidere id non nisi in desperatissimo casu faciundum est. 76.b
Carnes comesæ maximè corrumpuntur & nocent aeremq; ut corpora mortuorũ corrumpunt. 5.a
Carnes in febre pestilentiali conueniunt. 50.b
Caro sordida et corrupta quibus auxiliis remoueatur. 75.a
Causas morbi cognoscere oportet ad eius præseruationem. 23.a
Cauti esse debent qui incidunt apostemata & ob quam rationem.
Cauterizare oportet ubi uidemus ulterioré corruptionem. 77.a
Causa ob quam non semper moriuntur phlebotomati post quartam. 60.a
Causam ob quam pereunt illi in quibus mittitur sanguis in maximo calore. 59.b
Causa ob quam transacta quarta non licet mittere sanguinem. 59.b
Cerebrum pati per consensum, quomodo aliquando clare dignoscatur. 64.b
Cholera penes diuersos gradus adustionis diuersam formam & appellationem sortitur. 53.a
Cholera uitellina fit per admistioné phlegmatis grossi & quomodo purgetur. ibidem.
Cholera Citrina quo medicamento purgetur. ibidem
Cholera Aeruginosa est eradicatiue euacuanda. 54.b
Cholera minoris famæ est diuersarum specierum. 53.b
Cibi diuersitas stomachi inquietudiné causat. 35.b
Cibi & potus conualescentium a febre pestilenti quales esse debeant. 78.b
Cibi fugiendi ab iis qui cõualescunt a febre pestilenti, qui sint.
Cicatrix quando & quibus auxiliis inducenda sit. 75.b
Ciuitas infecta quomodo regenda ut a pestilentia liberari possit. 26.a.
Ciuitates pauperes hospitales non habentes quid agere debeant pro sua salute 27.a.
Coeuntes paratiores sunt ut in febrem pestilentialem incidant. 21.b
coitus nimii incommoda. 39.b
columbarum capita & colla dolorem capitis faciunt. 32.b
concoctionis signis non omnibus apparentibus euacuare oportet si adsit multitudo & malitia humorum. 58.a
Conditiones quæ requirũtur ad uenæ apertionem. 70.b
Confectio contra pestem. 44.a
Corpora quædam tam sanguinea quã cholerica aere pestifero alterata sine putredine ab initio. 22.a
Corpora mundificata tenere debent conualescentes a febre pestilenti.
Corporis humani alimenta tria sunt. 31.b
Crises in febribus pestilentialibus apparent, licet raro. 59.a
Crusta carbunculi citius fit quam apostematis. 77.a
Crusta quo modo remoueatur, & post remotionem quo modo procedẽdum sit docet. 75.a
Cucurbitulæ scarificatæ quando apponendæ & ubi & post quæ.
carnes uel recentes uel salitæ non inficiuntur ab aeris pestilentia nisi prius putrescere incœperint. 25.a
Caseus uel recens uel salitus non inficitur ab aere pestifero. 25.a

Dictamni radices præseruant a corruptione aeris. 44.a
Duo sunt necessaria, medica scilicet ratio & experimentum. 77.b
Diligentia quanta & qualis esse debeat circa examinanda ea, quæ ex locis suspectis ueniunt, uel adferuntur.

Electuarium lenitiuum euacuat materiam permistam. 53.b
Electrarium ex ligno Indico est præseruatiuum a febre pestilenti. 44.a
Electuarium contra pestem. 44.a
Electuarium pro confortando corde. 57.a
Elementum

Elementum purum non putrescit. 13.b
Emplastrum attrahens per quod auxiliari naturam debemus si recte operetur.
Emplastra quædam quæ applicari debent apostematibus malignis.
Emplastra ponẽda sũt supra carbũculũ. 76.a
Epithema cordi apponendum in febre pestilentiali. 50.a
Erysipelatis materia. 72.b
Euacuatiuum lene quod docet dari in materierum permixtione 52.b
Ex retentione excrementorũ generantur ægritudines in omnibus partibus corporis. 36.b
Exercitium confert conualescentibus à febre pestilentiali. 78.b
Euacuatio per uenæ apertionem nõ omnibus conuenit. 77.a

Famis tolerantia stomachum putridis humoribus replet. 76.b
Febris pestifera ex aeris infectiõe quomodo cognoscatur. 23.a
Febris pestilentialis quid. 3.6.11.b
Febris pestilentialis minera nõ semper est circa partes propinquas cordis, sed aliquando in aliis membris longinquioribus. 8.b
Febri pestilentiali laborantes post quadragesimam diem suspicione carent. 26.b
Febres hecticæ pestilentialis curam recenset breuiter. 60.a
Febrem pestilentem interius exagitare, exterius uero esse quietam non est semper uerum, & qua ratione. 55.a
Febres ex simplicium humorum putredine raro fiunt. 52.a
Febrem esse cum humorum putredine ex calore & pulsu cognoscitur. 51.b
Febres licet intermittentes non sint tamen exasperationes habent pro ratione humoris prædominantis. 54.a
Febris ex cholera prassina & zinaria datur 55.a
Fluxuum ennumeratio & cura. 63.a.b
Fluxus sanguinis uehemens quibus remediis sistendus sit.
Flaxus sanguinis semper timẽdus est. 64.a
Fomenta quæ administrari possunt si apostema in cerebro confirmentur. 65.b
Frigida repercussiua quando conueniant & ob quam causam. 75.b
Fur fur uirtutem expulsiuam stimulat. 32.a
Fruges non inficiuntur ab aere pestilenti.
Fructus uel recentes, uel arte exsiccati non inficiuntur ab aeris pestilentia. 25.a
Funes & ligamenta & succi & tegmẽta corrigi possunt & mundari à pestilentia per aromata, & odorata, atque etiam per lauationes. 25.a

Gaudium quantum ualeat in præseruandis & in conualescentibus à febre pestilenti. 41.a

Habentes pestichias raro pereunt si recte tractetur, sique materia nõ sit multa & uenenosa ultimatè. 69.b
Habentes apostemata non recipientia maturationem morituros esse prædicere oportet. 75.b
Hippocratis dictum in tertio epidemiorũ quo modo uerum sit, in quo ait multos euasisse, quibus superuenit fluxus sanguinis à naribus, cum uisum fuerit oppositum. 64.a
Humores plurimos euacuare quãdo, & cur in febre non humorali conueniat. 51.b
Hyppocondriorum tensio est signum commune in febribus pestilentialibus. 7.a
Herbæ omnes facillime corrumpuntur & parum etiam nutriunt. 34.a

Ignis ex odoratis lignis malum aerẽ rectificat & bonũ præseruat à corruptione. 25.b
In aspectibus Solis & Lunæ manifestę alterationes apparent. 27.b
In carbonibus à quo loco mittendus est sanguis. 28.a
In commixtione medicinarum non potest dari certa regula. 54.a
In febre humorali pestilente etiamsi non appareant pustulę, aut pestichię cucurbitule scarificatæ conueniunt, & qua de causa. 52.a
In febre pestilentiali semper sumus soliciti de uirtute. 52.a
Infecti siue suspecti quomodo uisitandi & tractandi sint 25.b
In motu materiæ uenenosæ, & si intra uenas putrescat apparet frigus quoddam 42.a

In principio febris pestilẽtis cum ægritudo sit acuta, si corpus fuerit plethoricum cõuenit cita euacuatio neque est expectanda concoctio & cur 52.a
In statu regulariter operando non oportet euacuare. 58.a
Intentio curatiua in curandis morbis sumi debet ab essentia morbi. 56.a
Inter prandium & cœnam quid administrari debeat. 49.b
Interdicere oportet homines suspectis è locis uenientes ne cum sanis conuersentur et docet quo modo. 24.b
Interrogare diligenter omnes uenièetes ad urbem oportet tempore suspicionis pestilentiæ in aliis ciuitatibus & locis. 24.a

LAetari magnopere debent conualescentes à febre pestilenti. 78.b
Lapides contra pestem. 42.a
Lauationem extremarum partium ex decoctione frigidorum damnat in febre pestilentiali. 61.b
Locos quosdam habitare conualescentes à febre pestilenti prohibet, ac etiam penitus relinquere.
Lapides omnes tam preciosi quam nõ preciosi nõ inficiuntur ab aere pestilẽti. 24.b
Legumina non inficiuntur ab aere pestilentiali. 24.b

MAculæ si apparuerint humida epithemata non sunt administranda. 42.b
Materia pecans in febre humorali pestilẽte potest esse sanguinea, cholerica, Flegmatica, & melancholica, sed ut plurimũ peccat cholerica. 52.a
Materia pustularum & papularum est eadẽ cum materia magnorum apostematum pestilẽtialiũ, sed differunt solo loco. 69.a
Materia ducenda est ad locum apostematis & quo modo.
Maturationem aliquam quærere necessarium est in carbonibus etiam malignis etiam si comburẽtes medicinas apponere uelis, & quibus remediis. 76.b
Medicina per se ad sanitatem per accidẽs ad ægritudinem. 22.b
Medicina quæ sanguinem euacuat uenenũ est. 58.b
Medicinas laboriose soluẽtes exhibere maximum est periculum. 54.a
Medicamenta diuersa cõmisceri docet ubi diuersæ commistę sunt materiæ quæ peccant. 54.a
Medicamentum purgans materiam cholericam. 52.b
Medicina quęlibet secundum diuersam sui præparationem & prodesse & obesse potest. 35.a
Medici reiiciunt pannos lineos mulierum.
Medici debent semper auxiliari naturæ et si hoc fiat sine spe ut in deploratis, & qua ratione. 55.a
Medicamẽtis duobus aliquãdo indigemus, quoniam carbunculus & circum apostema & supra ipsum nascitur, in quibus docet etiam nos procedere. 77.a
Medicus quo modo præseruare se debeat à febre pestilenti & ab apostematibus. 46.a
Melancholia ubicunque fuerit confirmatur in cerebro. 8.a
Melissæ uirtus. 40.b
Menstruum prouocantia. 37.b
Merces orientales aut medicinales non inficiuntur. 25.a
Merces faciliter aut difficiliter infectionem suscipientes quæ sint. 24.b
Merces allatę ad urbem per naues suspectas quomodo expurgentur. 24.b
Micleta Nicolai dolorem intestinorum remouet. 63.b
Mitigantia dolorem in apostematibus tam paruis, quam magnis administrare cõuenit & qualia sint docet. 77.a
Morbi Gallici materia duo habet quæ ad contagionẽ requirũtur. carta. 5.6.61.33
Morbo pestifero ciuitates uicinas laborare qũo cognoscere possimus. 23.b
Morbillorum descriptio, qui sunt ægritudo contagiosa. 68.a
Mortificatio carnis quomodo cognoscatur & pro separatione mortuæ carnis à uiua quid agendum. 76.b
Mundificantia conficere docet & quid aliquando ipsis addendum sit.
Mutanda sunt bis in die medicamenta, quę carbunculo apponuntur. 76.b
Merces quæ facillimè & quæ non facillime inficiuntur enumerat, similiterque & quæ diu retinent infectionem & quę nõ diu retinent.
Metalla & ex his confecta nõ inficiuntur ab aere

aere pestilenti. 24.b
Medicinæ non inficiuntur ab aeris pestilentia.
Mulieres minus paratæ sunt quam uiri ad febrem pestilentem. 22.a
Medicorum distinctio in Physicos & Chirurgicos mala ē & sine necessitate. 26.b

Naturæ auxiliari oportet quando ad ignobiliora membra & conuenientia transmittit.
Non solum ægritudo & causa sed etiam accidens perpendendum est. 70.a
Naues oneratæ mercibus suspectis uel etiā infectis quo modo & quot mediis expurgentur docet.
Nautis infectis quomodo subueniēdum sit. 24.a

Obseruationes omnes in pestilentia usque quo producendæ sint.
Operatio regularis quæ sit. 70.a
Ordo procedēdi in curatione febris humoralis pestilentis. 51.b
Oleum & eius uasa non inficiuntur à pestilenti aere.
Odorata omnia contra operantur ipsi pestilentiæ.

Pectinationem capillorum aut barbæ dimittere omnino debent conualescentes à febre pestilenti. 79.a
Pestichiæ quid sint. 69.b
Pestichias uel papulas & morbillos idē esse in materia asserit. 67.b
Pestichiæ apparent in febre ephemera pestilentiali. 51.a
Pilulæ superfluitates corporis euacuantes. 36.b
Pilula contra pestem duplices. 37.a
Pisces facile putrescunt. 33.a
Pleuritis materia si pestifera sit, dimittenda est sectio brachii.
Potus & cibi conualescentium à febre pestilentiali quales esse debeant.
Præseruationis tempore quæ assumi debeant. 43.b
Ptisana hordeacea infrigidat & sudorē prouocat nec est opilatiua. 71.a
Puluis præseruans à febre pestilentiali. 45.a
Puluis herbæ acetosæ præseruat à quacūque contagione calida interius. 44.a
Puluis cum ferculis administrādus in febre pestilenti. 50.b
Pustulæ seu pestichiæ, & morbilli ac uariolę si apparuerint perniciosum est mittere sanguinem. 78.b
Pulsus & reliqua signa febris ephemeræ pestilentialis. 48.a
Putredo sine prohibita transpiratione dupliciter contingit. 4.b
Pestilentia quæ in nauibus, & mercibus etiā personis inest & ab exteris locis adfertur quibus mediis & uiis uitetur & expellatur. 24.a
Præseruatio à febre pestilenti quomodo fiat 22.b

Qualitas pestifera magis uni quā alteri contrariatur. 23.a
Quies nimia, aut ocium nimium siue animi, siue corporis, malum. 39.b
Quomodo ignaros monere possint pręsidētes salutis custodiæ ne ciuitatem inficiāt si infecti sint. 24.a
Qui ministrant custodi salutis pręsidentibus quales esse debeant & quomodo se gerere. ibidem.

Ratio ob quam aliqui patientes febrē ex cholera prassina & Zinaria liberati sunt. 55.a
Recidiua est deterior sua radice secundum Auicen. 78.b
Regimine uictus solo, qui naturam adiuuaret, procedere deberemus si ipsa natura operaretur, aliter, succurrendum est ipsi & quo modo. 71.a
Regula certa supprimendi fluxum sanguinis non potest dari. 64.a
Regula euacuandi sanguinem certa dari nequit & qua ratione. 78.a
Repletio cibi & potus inter cætera maxime facit ad recidiuationē & qua de causa.
Rubedo si cum malignitate apparet scarificare locum melius est & mox apponere medicamina exsiccatiua. 75.a
Res malas & fœtidas comestibiles seu potabiles uenundari tempore pestilentiæ prohibere oportet. 25 b

Sacculus cordi conferens. 49.b
Sacculus pro confortando corde. 56.b
Sanguinem mittere in aliquibus sępius

licet transacta etiam quarta die. 59.a
Sanguinis missio quando & quibus nocet & non conueniat, & etiam quando & quibus conueniat. 78.a
Sanguinis per uentosas melius euacuatur uesperi quam mane. 50.b
Saniem perfectam generantia quando ponenda sint, & quæ sint & quo modo perfectam esse saniem cognosces.
Scabies aut exulcerationes artificiosæ nil conferunt ad præseruationem tempore pestilentiali. 43.a
Sectio uenę brachii in pleuritide si materia pestifera sit dimittenda est. 62.a
Signa ostendentia futuram febrem pestilētialem duplicia sunt. 18.b
Signa propinquam mortem ostendentia. 20.b
Signa ostendentia febrem pestilentialem uniuscuiusque humoris. 20.b
Signa non ostendentia pernitiem. 21.a
Signa ostendentia uehemētem caliditatem intrinsecam. 53.a
Signum necessitatis costus. 39.b
Signum quo cognoscitur similiter si morituri sunt illi, quibus incisus est carbo. 76.b
Signum choleræ citrinæ, quæ fit per admixtionem flegmatis subtilis. 53 a
Signa choleræ minoris famæ quæ sint, & cur omnia aliquando non requiruntur, & quo medicamento purgatur. 53.b
Signa choleræ prassinæ & zinariæ earumque euacuandarum modi. 55.a
Somnus diurnus quibus concedi debeat. 50.a
Somni & Vigiliæ excedētis remedia. 64.b
Somno indulgere debent conualescentes à febre pestilenti, sed interdiu ipsum uitare. 78.b
Somni prouocatio fit per unctiones, odoramenta & comestibilia. 50.b
Studere oportet in cognoscenda basi Trochiscorū & aliarum similium medicinarum ne fiat peccatum in euacuatione. 54.b
Suffitus ex aromatibus capiti nocet & dolorem ipsius causat. 30.b
Syrupus ad præseruationem pestilentiæ. 45.b
Syrupus dandus post sanguinis missionem in febre pestilente. 78.b
Synanchicis ultimum remedium est secare uenam quæ sub lingua est. 62.a
Syrupus resistens qualitati uenenosæ, qui datur pro alteratione materiæ quæ remansit. 52.b
Syrupi diuersi pro diuersa specie choleræ digerendæ. 54.b
Syrupus dandus post euacuationem sanguinis, ne materia fluat ad caput, uel ad stomachum. 52.a
Signum quo cognoscentur ciuitates, à quibus merces exportantur, esse infectas. 24.b
Salis genera nō suscipiunt putrefactionem ab aere putri. 25.a
Sudor immoderatus in quibusdam regionibus febris pestilentialis accidens propriū est. 66.b

Temporis interuallo non autem statim debent ad consueta munia secōferre conualescentes à febre pestilente.
Tegmenta, sacci & funes maxime possunt infici ab aere pestilenti. 24.b
Theriaca infecti aeris tempore mirificè confert. 42.a
Timor & alii animi affectus mali reddunt corpus paratum ad infectionem. 23.b
Tryphera persica quando potissimum uti debemus. 53.b
Tritici impositi carbunculo utilitas quanta sit. 76.b
Tumorum diuisio penes quantitatem, ac diuersorum humorum commixtionem appellatio, eorundemque denominatio & explicatio. 72.b
Tumorum quidam cur dicantur à uulgo pestis, quidam uero glandussa. 72.a

Vapores pestilentiales excitari possunt ab omnibus partibus corporis. 7
Variolarum definitio & essentia, modusque generationis ipsarum. 68.a
Variolæ cur prius accendantur quam morbilli. 68.b
Variolæ deteriores quæ sint. 79.a
Vena saphena siuę maleoli, & poplitis eadem est, nec differt nisi loco, quia utraq; directe à iecore euacuant. 66.a.
Venæ sectio post secundam diem non po-

test prodesse in febribus pestilentialibus licet materia fuerit sanguinea. 71.b
Venæ sectio in febre pestilenti quando fieri debeat. 52.a
Venerea fugire debent mirum in modum conualescentes a febre pestiliali, coq; magis, quia tentantur. 78.b
Venti tam meridionales quàm occidentales laxant corpora. 17.a
Ventosæ appositio in regione iecinoris sæpe sanguinem sistit. 64.b
Ventris secessus debet quotidianus esse in conualescente à febre pestilenti & quo medio fieri hoc possit docet. 78.b
Ventosæ in qua materia maximè conueniant. 52.b
Ventosarum utilitas & securitas quanta sit. ibidem.
Vestimenta quædam induere & tractare cõualescẽtes a febre pestilente prohibet. 79
Vinũ uinosum (uti bibuli sentiunt) non conuenit pro præseruatione febris pestilentis. 45.b
Vinum in febre pestilentiali uenenum ad cor penetrare facit. 48.b
Vinum non est dandum in febre pestilentiali & quibus de causis. 71.a
Vinum non inficitur ab aeris pestilentia. 25.a
Vlcerare aliquã partem corporis seu apertum in ipsa ulcus tenere confert tempore pestilentiæ. 43.a.b
Virtus in febre pestilenti instauranda est cibis ita, ut ui dandi sint. 63.a
Virtute existente debili & plurimis existẽtibus humoribus malis procedere debes cũ medicamine debili forti. 65.b
Virtutem refocillandi tria sunt ingenia secundum Galenum quibus additur quartum secundum Auicennam. 51.a
Vnguentum cor recreans. 25.a
Vomitio nigra in febre pestiliali lethalis. 62.b
Virtus si ab extrinsecis iuuetur uincit sæpè omnem malignitatem. 57.b
Vnde fiat quod morbilli & uariolæ atq; aliæ huiusmodi papulæ sint subcutaneæ ac quodã ueluti uelamine coopertæ & quid significent & quomodo ab aliis differãt. 69.a

Z

Zedoariæ radix aeri pestifero resistit. 43.a

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Charta. 2.b.denique animi constantia,lege,de animi.
3.b.scientiæ nanque per additionem fiant,lege,fiunt.
5.a.sicut corpora mortuorum,lege,& sicut.
5.b.per aerem deferri,lege,perq; aerem.
Ibidem agentia & patientia debent communicari,lege,communicare.
7.a.hypochondriorum,etiam caliditas,lege,& etiam.
7.b.internarum uirtuum ut,lege,uirtutum ut.
8.a.Et cum uero uapores,lege,cum uero uapores.
8.b.atque adeo ita attenuatos,lege,atque adeo attenuatos.
10.a.quartana aut puotidiana,lege,quotidiana.
11.a.fębris hetica,lege,hectica.
11.b.ratione febrium prætertermissa,lege,prætermissa.
12.b.in colore & substantia fiunt &,lege,fiunt etiam &.
13.a primo theotricæ,lege,theoricæ.
13.b.elementum purum purescere,lege,putrescere.
14.b.intolerabilia caliditate,lege,intolerabili.
18.a.Ego uero præterquam quod,lege,propterea quod.
18.b.omnia à peste præseruabunt,lege,præseruabit.
19.b.uolutarīi difficultas,immemores,lege,& ægro uidentur immemores.
20.b.non æqualiter sed inæquali,lege,inæqualiter.
24 b.cicerculæ,fasioli,pisa, lege,phaseoli.
27.a.uiolæ,nenufari,lege, nenuphar.
27.b.continue in thalano,lege,in thalamo.
29.b.si per os attactus,lege,attractus.
30.b.proprietas indiuiduales,lege,proprietates.
34.b.putrescibiles sunt laudantur,lege,non laudantur.
38.b.Plato ip primis,lege,in primis.
42.a.aliqua sint non solum,lege,quæ non solum.
ibidem.si eis experiri,lege,ea experiri.
46.a.etiam corporis parata,lege,corpora.
49.b.æqualiter affigatur,lege,affligatur.
ibidem.hora minoris affictionis,lege,afflictionis.
53.a.prætermissa triphaRia,lege,tryphera .
54.b.laboriosæ quæ soluunt,lege,quæ soluunt laboriosè.
58.b.etiam magnus frequens,lege,etiam pulsus magnus.
59.a.febris hoc potius,lege,hæc.
56.b.fuerint,& uirtus sit,lege,non sit.
66.b.immoderatus uinctusq;,lege,iunctusque.
68.a.diffinitione,lege,definitione & similiter alibi.
71.a.ac minime opitulatiua sit,lege,opilatiua sit.

ERRATA SIC [illegible]

[illegible]

[illegible], lege, cuius nunc memores.

[illegible], lege, atque adeo [illegible]

[illegible], lege, quemadmo[illegible]

[illegible]

B